

**VI MARTII.
DE S. COLETA VIRGINE,
REFORMATRICE ORDINIS S. CLARÆ,
GANDAVI IN FLANDRIA,
VITA**

ex Gallico Petri a Vallibus siue a Remis, Confessarij ipsius Beatae, Latine reddita a Stephano Iuliaco, Doctore Sorbonico Ordinis S. Francisci. Ex IV Codicibus MSS.

PROLOGVS.

[1] Altissimi Conditoris [Dei Patris] Vnigenitus, cum eodem Spirator, vt vnicum principium supremi Pneumatis, a summis cælorum de regalibus sedibus intuitive prospectans hæc infima, miserabiliter in præcipitium abyssale turpiter iam dilapsa, suas multiformiter mirificando misericordias; inæstimabili dulcedine pietatis, secundum quod disposuerat ab æterno, visitare dignatus est mundum. [Mira Dei prouidentia varij in Ecclesia gradus virorum & mulierum:] Et ibidem nempe vocatos, ab æterno prædestinatos & electos, infallibilis eiusdem prouidentia sic iustificandos miro modo disposuit: vt quosdam Prophetas, alios Apostolos seu Euangelistas, quosdam vero Martyres, nonnullos Confessores aut legis Doctores efficeret; non absque Virginum sacrarum lilijs, sponsæ suæ sacratissimæ, videlicet sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, corpus mirifice venustando. Sed per omnimodam ineffabilemque virtutum & gratiarum redundantiam vnam electam ex millibus, ac super omnes, & prae omnibus præelectam in Matrem fæcundissimam & in Sponsam dilectissimam, filiamque fidelissimam, omni puritate rutilantem, sibi miro modo copulauit is, qui candor est lucis æternæ, & speculum sine macula diuinæ maiestatis. Tandem vero quibusdam

interiectis annorum circulis, vtriusque sexus statu funestis discriminibus turpiter implicato, per eiusdem complices pugilesque fortissimos ipsum præclare rectificans, ac plene irradians noscitur renouasse. Sed ad extremum nihilominus prælibatorum attenuato vigore, noua surrexit militans, quæ manu quadam gladium tenens ad hostes debellandum, alteram extendit ad sarculum, pro vinea summi Patris-familias iugiter excolenda. Quod totum factum esse, & completum patenter dignoscitur in Matre faecundissima culturae virtutis omnimodæ, morumque venustatis, [inter has electa S. Coleta.] & meritorum indicibilium inauditorumque a sæculis, nomine Coleta, summi Regis ancilla deuotissima pariter & Reformatrice totius perfectionis Euangelicæ, velut ad hoc educta diuinitus ab vtroque cælorum supremo polo, quatenus cum sancta Iudith dicere valeat vndecimo sui libri capitulo. Ego ancilla tua Deum colo. In quibus quatuor Prærogatiuas excellentiæ prænominatæ, matris & ancillæ Christi prædilectissimæ valemus contemplari: videlicet in primo spiritalis eius virtutis præeminentiam singulariter demonstratam, [cuius sunt 4 prærogatiuæ:] cum dicitur Ego: secundo cordialis humilitatis condescendentiam officialiter oblatam, cum subditur Ancilla tua: tertio integralis fidelitatis conseruantiam radicaliter solidatam, cum dicitur Deum: quarto visceralis pietatis affluentiam indesinenter dilatatam, cum concluditur Colo.

Primum deducit eius mirifica sanctitas ceteros supergrediens, propter quod dicitur Ego. Secundum adducit eius mystica paruitas animo se subijciens, quare subdit Ancilla tua. Tertium inducit eius pura saluifica firmitas errores abijciens, vnde subiungit Deum. Quartum producit eius pacifica liberalitas vtroque circumspiciens, vnde concludit Colo. Propter primum sibi congruit illud Canticorum VII: Ego dilecto meo & dilectus meus mihi. Propter secundum dicere potuit illud Ruth III:

Ego sum ancilla tua. Cui respondetur: Benedicta es a Domino filia. Propter tertium audire meruit illud Apocal. XXI: Qui vicerit possidebit hæc: & ego ero illi Deus. Propter quartum virtuose studuit, sic quod Deum colere cæpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Sapientiæ XIII.

[2] Et quamquam huius gloriosissimæ Matris tam præclara tamque refulgentia, tot & tanta peracta mirabilia, laude quacumque magis digna, quam imitari possibile (quæ pluribus incredibilia viderentur penitus, si non ea firmiter & indubie comprobaret multiplex & eidentissimus effectus) meus sermo pauperculus, [Auctor Vitam scribit, a fide dignis testibus acceptam,] stylus rudis hebetans ingenium multo magis obnubilare, quam elucidare dignoscatur certissime: verumtamen requisitus ab insignibus personis, quibus me negare nullatenus fas esse decreui, quæ de prænominatæ Matris laudibus inexhaustis, expertorum in hac materia fide dignissimo testimonio a comperi, sub articulorum seu capitulorum certo, scilicet vicenario numero perstringere conabor. Quorum

Primum Capitulum erit de statu suæ mirabilis infantiaë, signanter dotato Dei cognitione, variisque donis charismatum & gratiarum suis a Deo parentibus gratanter collatis.

Secundum Capitulum de suæ profunditate virtutis & præcellentis humilitatis. [in 20 Capitula distinctam.]

Tertium Capitulum de promptitudine suæ subiectionis & obedientiaë, vocationeque ad statum perfectionis.

Quartum Capitulum de sua diligenti passiva, nec non activa diuinorum præceptorum obseruantia, & in speciali

de cultura Festorum secundum ordinationem Ecclesiæ sancte, Dei.

Quintum Capitulum de quadam ostensione terribilis visionis prætendentis ipsam fore datam, licet inuitam, ad Reformationem ordinis S. Claræ.

Sextum Capitulum de accessu eius ad præsentiam summi Pontificis, & qualiter ab eodem recepta fuit ad Religionem pariter & ad professionem, & instituta simul in Abbatissam.

Septimum Capitulum de inchoatione Reformationis ordinis S. Clare, & de persecutionibus sibi factis.

Octauum Capitulum de sua cordiali dilectione sanctissimæ paupertatis.

Nonum Capitulum de sua perfecta castitate, & pura virginitate.

Decimum Capitulum de studio sanctæ orationis Deo multum acceptabilis, & creaturis quam plurimum vtilis.

Vndecimum Capitulum de feruenti eius amore, & reuerentia similiter & deuotione erga Passionem Domini nostri Iesu Christi; adiunctis miraculis eiusdem meritis factis, & completis per medium signi salutiferi sanctæ Crucis.

Duodecimum Capitulum de ingenti deuotione, dignaque reuerentia, quam gerebat ad pretiosissimum Sacramentum Eucharistiæ, receptioneque non parum admiranda sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi.

Tredecimum Capitulum de sua austeritate erga seipsam, & de humanitate & dulcedine per compassionem ad ceteros.

Quartum decimum Capitulum de grauibus pœnis & tormentis per ipsam patientissime toleratis.

Decimum quintum Capitulum de dono prophetiæ, cum plena lucidaque cognitione sibi mirabiliter a Deo collatis.

Decimum sextum Capitulum de malignorum spirituum graui persecutione.

Decimum septimum Capitulum de gratiarum spiritalium Sanctorum & Dei amicorum in ipsa renouatione.

Decimum octauum Capitulum de virtute suæ veræ patientiæ, quam in cunctis suis persecutionibus seruauit indilate.

Decimum nonum Capitulum de suorum consummatione dierum & obdormitione mortis corporalis.

Vigesimum Capitulum de miraculis eius, tam in vita quam post mortem rutilantibus.

[3] Incipit extractio breuis, & succincta perfectissimæ vitæ sanctissimæque, Venerabilis ac deuotissimæ Religiosæ, bonæ memoriæ, nomine Sororis Coletæ, Ordinis S. Claræ primæ Reformatricis, & reparatricis inferius in terris; & sicut indubie credendum est, in cælis gloriosæ Christi corregratricis. [S. Coleta appellatur ancillula Christi.] In qua quidem extractione, minus sufficienter suæ sanctæ vitæ facta mirabilia continente, propter eius excellentiam, meique permaximam imbecillitatem hoc aduertendum, quod ibi dicta Mater sæpe vocatur Ancillula, id est, ancilla parua Domini nostri

Iesu Christi, pro tanto, quia constat certitudinaliter coram Deo pluries sic esse nominatam.

CAPVT I.

De statu suæ mirabilis infantiaë, signanter dotato Dei cognitione, variisque donis gratiarum & charismatum suis a Deo parentibus gratanter collatis.

[4] Maiestatis interminæ supremæque Deitatis ad cultum non parum pertinere conuincitur donum a cognitionis & potissime summi boni, quod est primum rerum principium finisque vltimus, & eius infinitum & eminentissimum pariter exemplar omnium refulgentium, a quo, per quod, & in quo subsistunt & relucet & ordinantur omnia, purissimum, [Cognitionem Dei accipit,] incommutabile, simplex, & æternum. De quo merito Doctor egregius Aurelius Augustinus libro primo de Trinitate fatetur: Summum, inquit, bonum non nisi mentibus purgatissimis inuenitur. Mentis enim humanæ acies inualida in tam eccellente luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur. Ratione cuius in Soliloquijs a gratiarum supremo collatore Deo sibi postulat humiliter elargiri, dicens: Domine da mihi gratiam cognoscendi te. Hanc autem gratiam limpidæ cognitionis, & potissime de se, non mediocriter conferre dignatus est ipse largitor liberalissimus, sua infinita bonitate suæ gloriosæ ancillæ Coletæ, dignæ memoriæ merito recondendæ; nedum in ætate completa, quin etiam in ætate tenera siue puerili, quæ communiter infantia nuncupatur. [quadriennis,] Præcise nempe quadriennis existens vel circa, quod satis extraneum est ab usu communi siue naturali, cœpit ita mentem eleuatam habere iugiter ad Dei notitiam, quod nullus expertus de veritate facti dubitare posset aliquatenus, hoc esse sibi supernaliter & diuinitus inspiratum. Sicut enim legimus de Præcursore Christi Ioanne Baptista, [instar S. Ioannis Baptistæ] quod post

multas sibi diuinitus impressas notitias de Deo, teneris sub annis mundi ciuium turmas fugiens & contemnens, antra deserti petiit, solitudinem eligendo: pariformiter ancilla Christi gloriosa, de qua nunc agitur, percepta diuinitus gratia multiplici diuinæ cognitionis, adhuc in annis puerilibus, vt præfertur, fugere cœpit omnes ludos iuueniles, & infantias curiosas ac dissolutas, [mundana contemnit:] & despiciere vanitates & applausus mundiales: & quamuis non accesserit personaliter ad loca deserti siue solitudinis, prætextu sexus fæminei sibi contradicentis; nihilominus tamen elegit pro posse ipsa voluntate statum solitarium in propria domo parentum suorum. In eadem namque domo primitus instinctu proprio, [oratorium sibi statuit:] seu potius diuino, elegit sibi locellum quemdam paruulum, sequestratum a ceteris, ad modum oratorij, vbi se diligenter occupans in bonis meditationibus, in diuino timore pariter & amore suoque sancto seruitio, cum frequentibus & deuotis orationibus, numquam ab illo, nisi raro, nec tunc nisi coacta & inuita, recedebat.

[5] Erat insuper veneranda nimis & extranea coram secularibus & mundanis, nedum in ætate iuuenili, sed etiam per totum temporis spatium, quo vitam duxit in humanis. Vnde quotiescumque cogebatur egredi pro necessitatibus Religionis seu alia quauis de caussa, [fugit hominum conuersationes] seu extra claustum, seu extra sua priuata oratoria constituta, coram etiam quacumque vel quantumcumque priuata persona rubore perfusa verecundiæ, semper sibi videbatur vituperabilis, reprehensibilis & confusa; nec vnquam secundum propriam æstimationem se tantum aliquid dicens boni vel faciens in publico seu coram hominibus, quantum se profecisse confidebat solitarie coram Deo permanens in secreto. Interdum puellis siue iuenculis sibi coæuis illam visitantibus, & secum ad ludos & spatia mundana ducere nitentibus diligentissime, non solum penitus

consentire renuebat; [etiam puellarum eiusdem ætatis:] quin etiam pluries in suo spiritu præsentens illas fore venturas, se possetenus absentabat, & abscondebat per latibula domus, vtpote subtus lectum vel alias, quousque sibi constaret de recessu prædictarum.

[6] Erat autem parua corpore, & iuuenis ætate; sed erat grandæua feruenti desiderio perfecte diligendi Deum Creatorem suum, [studet amori Dei,] illumque timendi pariter & ei seruiendi fideliter, & seduliter obsequendi: optans vt cognosceretur ab omnibus & timeretur, & super omnia similiter ab omnibus amaretur. Erat autem ætate iuuenis, sed antiqua bonis moribus; honesta conuersatione cum sensualitatis omnimoda mortificatione, clausisque sensibus penitus & restrictis a quolibet exteriori purissimæ conscientiæ læsiuo. [puritati conscientiæ, modestiæ,] Sua conuersatio plus apparebat cælestis quam terrena; plus Angelica quam humana; sic composita gestibus & ordinata modestia cunctisque virtuosus moribus mansueta, quod nulla percipi poterat in ipsa vanitas vel leuitas vndecumque. Cuncti cogitatus eiusdem, dicta siue facta consistebant in puritate & fidelitate conscientiæ, penitus ad nihil aliud intendendo quam ad implendum pro viribus diuinum beneplacitum, [ad impletioni mandatorum Dei:] & ad ædificandum, vt potuit, proximum per exemplum.

[7] Videbatur nonnullis talia cernentibus personis in Dei amore pariterque fraternitatis dilectione, quod hæc esset quidam nouus & pretiosus thesaurus virtutis & gratiæ, quem Deus pro certis caussis, licet ignotis, nouiter transmittere dignatus est in mundum, secundum æstimationem plurium fide dignarum personarum, non paucis deuotionibus præditarum; adinstar prælibati Christi Iesu dignissimi Præcursoris, sanctissimi videlicet Ioannis Baptistæ, [comparatur D. Ioanni Baptistæ,] cælitus ante primum eiusdem Saluatoris aduentum, ad

annuntiandum illum de proximo venturum & ad prædicandum pœnitentiam, destinati. Pariformiter hæc ancilla Domini nostri sanctissima procul dubio censetur fore præmissa, pro pauperibus peccatoribus exhortandis iugiter & admonendis ad præparationem cordium & conscientias expurgandas, pro comparendo securius ante conspectum supremi Iudicis in extremo districtissimoque iudicio, [in admonendis peccatoribus,] quod erit secundus & vltimus aduentus eiusdem. Et sicut idem Ioannes adhuc in ætate iuuenili, vitam ducebat asperam per rigidam pœnitentiam & iugem abstinentiam in deserto; sic pro modo suae parvæ capacitatis, hæc in suo solitario locello præfato suum continuo macerabat & mortificabat tenerrimum & iuvenile corpusculum, sobrie videlicet & stricte nutriendo, [in mortificatione, & pœnitentia:] dure super asseres ligneos & aspere dormiendo, cum sola vnica coopertura de mattis, ac iuxta carnem tenerrimam rudes cordulas ac nodosas deferendo.

[8] Cum hoc insuper, quod acceperat abundantiam gratiarum & virtutum ab intus in spiritu, placuit Altissimo pariter illi conferre multas condecetes gratias exterius in corpore, [præclaris donis animæ & corporis dotata:] vtpote venustatem seu pulchritudinem corporalem, gratiositatem complacabilem & gratissimam diligibilitatem. Erat nempe venusta facie, bene composita corpore, in cunctis placencentissima pulcherrimaque filia cernebatur: quamvis toto vitæ suæ tempore seipsam, iudicaret ac reputaret tam interius quam exterius esse quamdam vilissimam & turpissimam creaturam. Intuebatur vero facialiter duobus decorata coloribus, albedine scilicet & rubedine, [alba & rubicunda,] quorum primus suæ conscientiæ nitorem congruentissime significare poterat, & munditiæ puritatem; secundus, scilicet rubedo, feruorem perfectissimum, quo ferebatur ad Deum; [precibus impetrat tolli sibi calorem rubeum:] vnde constat ipsam semper fuisse inflammatam. Hanc

autem corporalem pulchritudinem longo tempore detulit ignoranter, nec arbitrabatur quouis modo se tali nitore splendere, donec sibi extrinsecus manifestatum extitit: vnde tristis ac dolens effecta, se conuertit ad Deum pro remedio conueniente facilius obtinendo. Et statim completa oratione, color ille rubeus discessit, & sola albedo remansit in ea, tam in facie quam in manibus & toto corpore per totum tempus vitæ suæ. Erat tamen grata cunctorum oculis, & a cunctis videri desiderabilis, & audiri dulcis & amabilis, tam bonis quam malis indifferenter accepta, [manet æque gratiosa.] multis insignibus personis præ magnitudine stuporis admirantibus de visitatione gratiæ diuinæ, cum tanta magnitudine vitæ virtuosæ, relucentis in tam exiguo iuuenique corpore tam paruæ puellæ.

[9] In speciali, pater & mater eius, honestate vitæ virtuosæ pollentes, præcepta Dei possetenus observantes, in pietatis operibus & misericordiæ se iugiter exercentes, [Eius parentes pij,] cum attentius perciperent filiam suam vnicam inchoatam tam sanctam ducere vitam, & continuare tam excellentem & perfectam morum gravitate; cum stupore non minimo gauisi sunt valde, grandissimæque repleti consolatione: sed nec ingrati Deo reperti sunt de tanta gratia sibi liberaliter ab ipso collata, [gaudent ob filiæ suæ vitam sanctam:] tamquam de nobili thesauro sibi ab eo communicato: quin imo grates & multiplices gratias, & digne laudes multifarias ex cordibus summo Opifici flagitantes, sumpserunt in sancta vi a puellæ, verbis & bonis operibus, inaestimabilem complacentiam, cum spe firmissima, quod per eius medium suaque virtuosa opera meritoria possent acquirere facilius diuinæ gratiæ largitatem. Et tandem in effectum virtute sacrorum dogmatum & frequentium exhortationum suæ tam deuotæ, prædulcis & dilectæ filiæ disposuerunt vnanimiter de melius agendo quam alias sibi contigerat in viuendo, vt puta, [& ipsi sancte

viuere statuum:] cauendo diligenter ab offensione diuina, conseruando conscientias & animas in puritate & munditia, continuantes perseueranter & continue de virtute in virtutem progredientes.

[10] Non autem permisit diuina bonitas, prænominatos huius ancillæ suæ deuotissimæ parentes a sua spe siue desiderijs sanctissimis defraudari: quin etiam ostendere voluit illis singulare signum amoris, vtrisque videlicet singulares gratias conferendo. Inter quas ipsi patri, qui de se dulcis erat & amicabilis persona, concessit Largitor benignissimus gratiam pacificandi siue reuniendi discordes & diuisos: [pater pollet gratia componendi pacem,] quam gratiam sic diligenter & efficaciter exercere meruit, quod statim, percepta veritate certitudinaliter de discordia siue diuisione vel litigio quorumcumque, vbicumque foret, ceteris negotijs prætermisissis, illuc laboraturus instanter & incessanter pergeret, quousque sic discordes ac diuisos plene reduceret ad perfectam & integram vnionem. Vterius eidem patri collata fuit gratia dulcedinis & viscerosæ pietatis, quoad affectum compatiendi pauperibus membris Iesu Christi, nec non adiuuandi siue fouendi pauperulas mulieres dissolutas & deuiatas a via puritatis & honestatis: pro quibus iam reductis & conuersis, [& ad frugem reducendi inhonestas mulieres:] meritis seu admonitionibus filiæ suæ ancillæ domini Dei nostri, idem pater disposuerat & libere concesserat vnam de suis domibus pro illis mulieribus reductis, præsignatis pauperibus Christi membris recipiendis, confortandis & in cunctis necessitatibus providendis. Nec minus eiusdem humilis ancillæ Christi carnali matri collata referuntur indubie quamplurima charismatum dona singularia: erat namque mulier magnæ deuotionis, amans & timens Deum perfectissime, [mater ad dicta virtutibus,] vitam suam ducens in stricta parcimonia, se multis & varijs pœnitentijs exercendo. Semel enim ad minus, vel pluries

confitendo qualibet hebdomada, deuotissime recipiebat sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, [singulis hebdomadis confitetur & communicat.] & ambo simul, velut a Deo inspirati, dulciter permittebant, quod paruula Christi dulcis & humilis ancilla libere faceret quidquid sibi cœlitus foret inspiratum. Quapropter quamplurimi diuinæ bonitatis ingrati beneficiis, visa iuuentute cum paruitate puellæ, instigatione diabolica sinistre loquentes, iudicabant a discretis parentibus in tam parua puella nullatenus esse tolerandum. Quibus auditis, pater eius pluries constanter respondit, dicens: Credo quod filia mea nihil operabitur nisi bonum.

[11] Puella vero considerans, quæ patri suo frequenter impingebantur occasione paruitatis suæ, doluit. Vnde semel in congregatione quadam ex deuotione consistens in ecclesia quorundam Sanctorum, orationi dedita coram Deo, Sanctorum non immemor, inter alia dixit humiliter & deuote: Heu Domine Deus, placetne vobis remanere me semper in tam paruula statura? [Augmentum corporis precibus impetrat Coleta:] Et statim oratione facta, seipsam recognouit in molis quantitate creuisse, maioremque fore, quando regressa fuit, quam extiterat in accessu diuinæ peregrinationis. Nec solum hoc sibi profuit ad augmentum corporis, quin etiam illo percepto creuit animo, constanter deliberans viriliter exequi gratiam diuinæ cognitionis a Deo sibi collatam intantum quod plures bonæ indolis puellæ seu virgines & notabiles mulieres ex suo consensu visitare pariter illam & frequentare cœperunt, [piis colloquiis ad virtutem incitat alias fæminas,] cum quibus, abiectis scurrilitatibus aut stultiloquiis seu verbis otiosis, conferebat incessanter de pertinentibus ad doctrinam salutarem, vtpote de perfectissima dilectione Dei, de profundissima benignissimi Saluatoris humilitate, nec non de grauissima passionis & mortis eiusdem acerbitate: exhortando diligenter & efficaciter, seruire Deo deuote, fideliter eius

obseruando mandata, cauere penitus ab offensa culpæ mortalis, fugere mundana gaudia, carnales abhorrere delicias, & abominari quaslibet corporeas delectationes. [etiam dissolutas puellas & viduas.] In quibus virtuosis dogmatibus, valde profecerunt quamplurimæ, veluti nonnullæ solitæ sunt testari virgines & viduæ, quæ relictis omnibus habitis & habendis, seipsas mancipauerunt diuino seruitio per ingressum sacræ Religionis: aliæ vero iam ligatæ matrimonio, [vti & coniugatas.] vitam suam dexteræ Excelsi mutatione reparantes, statum suum fideliter & salutifere seruauerunt.

CAPVT II.

De profunditate suæ virtutis & præcellentis humilitatis.

[12] Egregio testante Doctore, Beato videlicet Augustino, humilitas est radix omnium aliarum virtutum, eo quia, sicut de radice procedit vita, virtus & pulchritudo totius arboris, sic quod nisi per illam permanere non valeat; pariformiter hominis virtuosa vita pullulat a radice virtutis humilitatis, [Ex virtute sanctæ humilitatis] sic quod absque illa virtutes ceteræ virtutis nomen amittant, nec significant animam coram Deo. Sed tota excellentia & perseuerantia personæ virtuosæ procedit a dicta radice humilitatis. Vnde Gregorius: Qui alias virtutes sine humilitate congregat, [in explic. 3 Psalmi Pœnitent.] facit quasi qui puluerem ad ventum portat. Si quis autem profunditatem radicationis huius sacræ virtutis humilitatis in corde gloriosissimæ nostri Saluatoris ancillæ, Sororis Coletæ, & relucentiam eiusdem virtutis in suis dictis & factis per totum vitæ decursum diligenter inspexerit, apparebit euidenter ipsam in præsentī vita Deo fuisse gratam & placabilem, & nunc in cælis beatam, felicem, excelsam & gloriosam. Inquit enim Bernardus: Qui verus humilis est, non quærit humilis prædicari, sed ab omnibus vilis reputari. [se cunctis peccatoribus viliorem æstimat:]

Quamuis hæc Virgo purissima fuerit ab infantia statu primæuo, pollens nitore mirabili conscientia virtuosæ; nihilominus tamen per totum vitæ suæ spatium se proprio iudicio reputavit vilem, sordidam & abominabilem coram Deo & mundo, se peiorem asserens cunctis peccatoribus huius mundi. Interdum sibi recitatis excessiuis offensis quorundam peccatorum, quæ pro tempore fuerunt perpetratae, respondebat, tales offensas nihil esse per comparisonem ad suas proprias: [maximas inferorum pœnas promeritam] pro quibus sufficienter puniendis arbitrabatur & asserebat, quod infernus non esset satis magnus. Sed nec propter talium defectuum occasionem æstimabat se fore veram Religiosam, nec dignam esse in Religione. Amore tamen Domini Dei nostri, [cupit seruire deuotis fæminis:] qui per suam humilitatem nimiam se fecit seruum nostrum, feruenter desiderabat se mancipare seruitio seu administrationi quarundam Dominarum bonarum & deuotarum, Deo fideliter & pure famulantium. Pro cuius executione seu complemento, consistens adhuc in habitu seculari, se personaliter transtulit ad quoddam monasterium Dominarum Religiosarum, quas æstimabat esse coram Deo iuxta optatum suum, earumdem obsequiis se dulciter ac humiliter offerendo. Sed ille, [prohibetur a Deo ingredi aliquod monasterium:] cuius providentia in sui dispositione non fallitur, quia ipsam præordinauerat ad statum maioris perfectionis, eidem ostendere dignatus est, moram huiusmodi nullatenus esse iuxta suum beneplacitum in dicto monasterio, compellens ipsam exire propere, vltiori ei ingressu denegato.

[13] Non tamen propter hoc extinctum fuit neque diminutum suum feruens humiliter obsequendi desiderium, sicut prædictum est, sed potius augmentatum, intantum quod licet ipsa non ignoraret, se fore postulata a Deo per gloriosum Patrem sanctissimum Franciscum pro reformatione suorum

Ordinum, similiter & concessam, prout inferius declarabitur; cum hoc tamen firmiter deliberavit in corde suo pro indignitate & insufficientia, quam in se reportabat, se nullo modo præbituram assensum, sed magis econtra in mente decrevit, se accessuram personaliter ad Summi Pontificis præsentiam, [Summum Pontificem adit:] suam Sanctitatem humiliter implorando, quatenus intendere dignaretur ad reformationem & reparationem Ordinum prædictorum, & quod ab eodem Summo Patre posset obtinere licentiam, obsequium exhibendi Religiosis reformatis Ordinis S. Claræ, qui est secundus inter Ordines prænominati Patris, videlicet sanctissimi Francisci: & quo ad hoc plenius & liberius esset intenta, quod de dicti Domini Papæ consensu posset habere parvam cameram iuxta aliquod ex prædictis monasteriis reformatis, pro diligenter vacando dictarum Dominarum Religiosarum obsequiis vtilibus, convenientibus & honestis. Verumtamen quantum ad hæc, finaliter & in effectu divina voluntas, cui nemo resistere valet, nec immerito, fuit completa. Nam in conspectu eius humilis ancilla præfata, tam re quam nomine, in Bulla Apostolica fuit intitulata Domina, [Abbatissa & Domina reformationis Ordinis S. Claræ inscia scribitur:] Mater & Abbatissa prælibatæ reformationis, & in tali gradu seu titulo præfatus Summus Pontifex illam instituit & ordinavit: hoc idem tamen ipsa penitus ignorante, sicut in sequentibus plenius apparebit. Non tamen ob hoc permisit condescendentia Divinæ bonitatis, ancillam humilem a tam virtuosi desiderij meritis & effectu defraudari: imo toto tempore vitæ suæ, tam dicto quam facto, [vocat se inutilem servitricem, indignam oratricem &c.] se reputavit servitricem, & se nominavit ancillam & subiectam totius Ordinis. Et hoc multifarie multisque modis, sicut infra patebit, & primo in litteris, quas scribebat, quibus tali titulo semper se subscribens vti consueverat: Inutilis servitrix, & indigna oratrix. Item legimus in ordinationibus ab ipsa compilatis pro

Sororibus, ad securiorem observantiam puritatis seu Regulæ, quod semper se nominabat Sororem Coletam parvam, & ancillam, & indignam servitricem Domini nostri, pauperem & inutilem Religiosam Ordinis S. Claræ: nec vnquam in diebus vitæ suæ permisit aliquid dici vel scribi, quod cederet in sui laudem vel commendationem. In principio namque reformationis Ordinum prædictorum tam Fratres quam Sorores in quibusdam orationibus, quas pro ipsa Domino fundebant iuxta condignum & licitum, sub nomine Matris eam appellare consueverant. Quod ancilla Christi percipiens, [Mater appellari non vult:] nullatenus permittere voluit, sed simpliciter sub nomine Sororis se nominari mandavit.

[14] Inter ceteros virtuosos coadiutores, quos clementia Creatoris misit & concessit ancillæ suæ prædictæ circa principium dictæ reformationis, habuit quemdam venerabilem Patrem, dictum Fratrem Henricum de Balma, magnæ religionis & honestæ vitæ virum, per omnia virtuosum, qui multa sciuit prae ceteris de donis secretis & charismatibus & gratiis specialibus sæpe nominatæ Matris: de quibus secrete, ne forte demandarentur obliuioni, libellum quemdam composuit, quem factum iuxta scriptoris arbitrium, soli Deo sibi que notum, ipsam, de cuius actibus laudibusque agebatur, minime latuit: sed in spiritu cuncta quæ fiebant clare videns, [in spiritu vitam suam conscriptam intelligit:] accersito prænominato Patre, quibuscumque contentis in præfato libello veridice relatis, ipsum de tali scriptura suæ commendationis aspere redarguit, affirmans se præcise fore reputari que debere magnam peccatricem, tantum defectuosam, quolibet opprobrio seu confusione dignam; & tandem dictum libellum sibi fecit apportari: quem mox in ignem proiciens, [eam comburit:] penitus comburi fecit, ne forte remaneret quantulacumque memoria de contentis ibidem. Multas insuper revelationes & notitias de secretis sibi pluries præsentavit Veritas suprema, quæ

Deus est, quas ipsa plene refutans, ex humilitate dicebat: Domine Deus, mihi sufficit, nec amplius requiro, nisi vos simpliciter cognoscere cum notitia de meis defectibus, delictis & peccatis. Et si vestra benigna clementia decreuerit donum aliquod amplius mihi conferre, [Deum & peccata sua nosse desiderans.] postulo de illis defectibus indulgentiam & remissionem.

[15] Semel Reuerendissimus Pater Generalis, Caput vtriusque Ordinis prænominati, quasdam composuit ordinationes ad sui requisitionem, pulchras & vtilis pro tota Religione: in quibus aliqua miscuit ad eius commendationem, ad hoc vt melius & diutius seruarentur. Et licet essent pro tunc, & sint multum vtilis & valde necessariæ toti Religioni, numquam tamen in illis complacuit: etiam cum necesse fuit dictas ordinationes legi vel recitari pro bono communi totius Religionis in sua præsentia, [moleste fere se Matrem aliarum nominari.] cum tamen perueniretur ad passum illum, in quo de prædicta commendatione fiebat mentio, pro tanto quod nominabatur ibidem Mater aliarum, moleste ferebat, nec poterat absque desolatione tale quid audire. In hoc autem perfectissima probatur imitatrix Domini Saluatoris, qui, peracto miraculo de leproso mundato, dixit: Vide nemini dixeris. [Matth. 8. 4] Et alibi spiritibus immundis prohibens non sinebat eos loqui, quia sciebant ipsum esse Christum: sed erat domesticus & familiaris pauperibus peccatoribus, ipsos recipiens, confortans & adiuuans. [Mar. 1. 34] Pariformiter eius humilis ancilla, quamuis abhorreret summe peccata seu offensas commissas contra Deum; [benigna erga peccatores.] numquam tamen horruit nec abominata est personas peccatrices, siue Religiosas siue status alterius cuiuscumque, diligenter aduertens & pie recolens, qualiter Saluator noster benignissimus propter peccatores descendit de cælis: de quorum numero semetipsam reputabat, se tenens de parte ipsorum; tales humiliter tractans &

semper in Domino confortans & adiuuans dulciter & humiliter cum magna caritate. Cuius rei gratia multi pauperes peccatores confidenter ad sui praesentiam accedebant, quamplurimos enormes excessus peccatorum illi pandentes, numquam alias alicui propalatos: quos illa receptos humillime dulciterque audiebat, & sic admonebat efficaciter & benigne, quod perducebat eos ad Dei notitiam, suique proprii reatus agnitionem, & tandem ad veram pœnitentiam: [eos ad veram pœnitentiam ducit:] laborare non cessans, donec educeret illos de vinculis peccatorum & retibus diaboli, & perduceret ad Dei misericordiam & gratiam salutarem.

[16] Cum vero constitit sibi de beneplacito Summi Pontificis, quia iuxta suam constitutionem ipsa deberet exercere officium Abbatissæ, licet primitus non haberet conuentus, [Abbatissa a Papa constituta,] & postquam habuit deficeret debita clausura cum pluribus aliis defectibus, occasionem præbentibus ad labendum in transgressionem faciliter, quam non reppererunt in principio: His tamen non obstantibus ipsa, Domino cooperante, sic diligenter & sagaciter exercuit dictum officium, ad Dei laudem & animarum salutem & profectum Religionis, quod absque confusione seu inordinatione cuncta laudabiliter & prospere successerunt. [asserit per se dissipari bonum Religionis,] Cum hoc tamen pro tunc & quotidie subsequenter asserebat, numquam se boni quidquam fecisse, sed magis consumpsisse & dissipasse bonum Religionis, quæ cuncta suæ profundæ humilitatis indicium prætendebant.

[17] Vbicumque vero præsidere debebat, vt in capitulo seu refectorio vel alibi, tam valida timoris & tremoris absorbebatur abysso, quasi propriis oculis supremum cerneret ludicem; cuius non arbitrabatur se dignam potiri præsentia, [eligit vbique locum postremum:] nec in eius absentia fungi quacumque præsentia, sed in omni loco,

tam in communitate cum ceteris quam in priuatis & sequestratis locis, semper elegit sibi stallum infinum & extremum: & cum erat sola, fere semper manebat genibus flexis, vel sedens in terra & vix aut numquam in altum, nisi coacta, interdum compulsa, sumere volebat refectionem, licet tenuem & pauperulam. Si sequestrata foret vt in pluribus, illam sumebat in terra sedens cum tantis fletibus & gemitibus, quod tam cibus quam ipsa rorari lacrymis omnino cernerentur. Aliquoties prætextu debilitatis seu infirmitatis sibi superuenientis, adsumebat iuuamen alicuius Religiosæ, pro diuino Officio seu aliis deuotionibus persoluendis: & tunc ex humilitatis profunditate se reputans omnibus infimam, minorem, & minus dignam, potius eligebat nouitiam quam professam, & simpliciolem quam magis doctam, nec præsumebat se fore dignam inchoare Officium vel dicere orationes; [in dicendo officio humiliora sibi quærit:] sed bene & libenter recitabat versiculos vel lectiones in Matutinis, aut alia similia, quæ prætendunt humilitatem. Coadiutricem vero Religiosam, quantumcumque pauperulam, simplicem vel nouitiam, cogebat inchoare diuinum Officium & tandem terminare. Haec autem ancilla Dei ex humilitatis profunditate, priusquam habitum Religionis adsumeret, humillime conferebat egenis subsidium, [benigna in pauperes] & leprosis consolationem, diligenter eis propriis manibus varias eleemosynas communicando. Nam adhuc existens in domo paterna, etiamsi sederet cum parentibus ad mensam, mox illis auditis surgebat, & de melioribus cibariis eisdem familiariter & caritative propinando, libenter edebat & bibebat cum ipsis, horrore quolibet seu fastidio penitus abiecto. [lauat eorum pedes.] Insuper cum opportunitas aderat, libenter eis lauabat pedes, & abstergebat seu mundificabat vlcera, maxime si cum talibus sola foret & ab aliorum tumultu segregata, credens firmiter obsequium se Christo præstare, ministrando humiliter pauperibus ac miserabilibus & abiectis personis.

Annotata

[stallus.] Stallus proprie locus in choro est seu statio singulis assignata, hinc installare in possessionem inducere: a Teutonico stellen ponere: qua in lingua etiam stabula animalium stalli dicuntur.

CAPVT III.

De promptitudine suæ subiectionis & obedientiæ, vocationeque ad statum perfectionis.

[18] Obedientia, secundum quod ait Augustinus libro quarto de ciuitate Dei, mater est quodammodo & custos omnium virtutum, & addit in libro de opere Monachorum: Quia citius exauditur vna obedientis oratio, quam decem millia contemptorum. Hæc autem, vt inquit beatus Gregorius in Moralibus, non seruili metu, [In obedientia promptissima,] sed caritatis affectu seruanda est; non timore pœnæ, sed amore iustitiæ. [Lib 12] Vnde quidam sanctus Pater: Obedientia est pretiosus thesaurus, per quam acquiritur regnum cælorum. Hoc thesauro ditata mirabiliter extitit hæc ancilla gloriosa Domini Dei nostri Coleta: adinstar enim sanctorum Apostolorum, ex ore Christi vocatorum ad ipsum insequendum, hæc ab eodem mentaliter & in spiritu vocata ad statum sanctissimum Euangelicæ perfectionis: [instar Apostolorum:] & sicut illi ad vnus vocis auditum prompti erant & veloces ad Christum insequendum; ita hæc ad primam inspirationem menti suæ diuinitus illapsam, præsto fuit assentire, pro assumendo dictum Euangelicum statum. Et quoniam quidam illorum, vt S. Andreas, trina vocatione fuerunt incitati, primo ad Christi notitiam, secundo ad familiaritatem, tandem ad perfectam sequelam & veram imitationem; [triplici vocatione excitata:] sic proportionaliter & ista: primo fuit a Deo mentaliter electa per collationem gratiæ cognoscendi Deum, persistens adhuc in infantia, vt dictum est supra: secundo ad

diuinam familiaritatem, per indictionem interiorem ad Euangelica consilia: postremo per ostentationem evidentissimi signi de diuino beneplacito circa eam, videlicet, quod assumeret statum Regularem & Euangelicum per ingressum Religionis.

[19] Et quia dictus status Euangelicus duo principaliter continere dignoscitur, videlicet præcepta, quorum obedientiam & plenam obseruantiam cunctis animæ salutem expectantibus, si suppetant ætas & discretio, fore necessariam nullus sanæ mentis ignorat; secundo consilia, quæ voluntarie feruntur, pro eo quod seclusa quacumque compulsione siue coactione, libere nos obligamus ad illa per votum & promissionem: [consilia Euangelica amplexa,] ad hæc fuit Mater hæc diuinitus inspirata & vocata, quæ quamuis ante votum libera sint & voluntaria, verumtamen post votum sunt obligatoria vel necessaria, sicut præcepta. Et hæc consilia sunt in numero duodenario, sed reducuntur ad tria: quæ sunt, obedientia, paupertas, & castitas: & hæc sunt fundamenta totius vitæ religiosæ, ad quæ simul cum clausura se libenter adstrinxit prænominata Mater, adsumens tertium Ordinem beatissimi Patris nostri Francisci, [assumpto tertio ordine S. Francisci:] semetipsam primitus includens & restringens in quadam habitatione paruula, seu a reclusagio iuxta quamdam ecclesiam, in qua poterat audire Missas & recipere sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum.

[20] [degit inclusa,] Verum quod pro huiusmodi convenientiori executione per agenda, missus sibi a Deo fuit Religiosus quidam Ordinis Fratrum Minorum, vir vtique bonus & honestæ vitæ, magna prudentia dotatus, & præclarus in scientia & cognitione Dei, [dirigitur a viro prudente:] suæ verus obseruator Regulæ, licet pauci vel forte nulli tales suo tempore reperirentur in illa terra: quia nec tunc erant in illa prouincia, videlicet Franciæ,

conuentus Ordinis Fratrum Minorum reformati, sicut postmodum fuisse dignoscuntur. Ille siquidem vir religiosus prædictam ancillam Christi cum solenni ministerio primitus introduxit siue introduci fecit in prælibatum reclusagium, cui dudum contulerat virtuosum adiutorium, pluries per consolationem multiplicem, consilia quam plurima & multum vtilia, discreta pariter & secuta, in omnibus negotiis ab ipsa peragendis, cum pulcherrimis dogmatibus, quæ de sua memoria speciali numquam per totum tempus vitæ suæ recesserunt. Nec prætermittendum arbitror, quod prænominato viro bonitas Altissimi manifestare voluit graues pœnas grauesque labores cum excessiuis doloribus, [diuinitus edocto labores eius in reformatione Ordinis:] quos eius humilis ancilla pro suo timore atque animarum salute tolerabat: demonstrando sibi quamdam Virginem pulcherrimam & placabilem, quæ pœnaliter & dolorose se occupabat colendo quamdam vineam, extirpans indecentia, & convenientia reparando. Et tandem extitit eidem viro significatum, quod præfata vinea designabat statum Religionis, cuius reparationi dicta ancilla Christi efficaciter & virtuose toto tempore vitæ suæ semetipsa occupare per continuum exercitium non cessauit, prout eius opera testantur & euidenter demonstrant. Et pariformiter ipsa præcognouit atque prædixit, [præuidet decessum eius:] in dicto reclusagio permanens, illius Patris decessum. Sæpe dictus Pater anno quolibet, eidem Christi ancillæ per Dei gratiam, in quocumque foret loco, semel apparebat, [& quotannis ab eo apparente inuisitur:] eidem ancillæ se manifestando pulcherrimum & valde gloriosum; vnde reddebatur & efficiebatur ipsa lætissima & in Domino confortata.

[21] Et finaliter mansit ancilla prædicta in eodem reclusagio per quadriennium, virtuose proficiens & vtiliter fructificans, [4 annis inclusa,] tam pro se quam pro ceteris libenter intendentibus circa diuinum amorem & salutem

animarum. Qualiter autem vitam ancilla Dei Coleta in illo carcere strictissimo duxerit, non absque admiratione puto recolendum: vbi viuendo sobrie in asperitate nimia degens, [valde austere viuit:] induebatur rudi cilicio penitus inhumano, cingens tenerum corpus tribus catenis ferreis crudelibus valde, lædentibus dolorose carnem suam puram & innocentissimam: dormiendo pro tempore super nudam terram, solum habens frustum seu stipitem ligneum pro cervicali præcise. Tanta siquidem austeritate pœnitentiæ corpus macerabat, quatenus iudicari digne posset, quaslibet concupiscentias vitiosas cum perversis inclinationibus in ea fore quasi penitus extinctas, [carnem spiritui subijcit:] vel omnino mortificatas; ex eo quod corpus eius cum omnibus sensibus exterioribus, absque rebellione quacumque, obedire spiritui præsto cerneretur, nedum in præceptis sensibiliter exterius expressis, quin etiam in notitijs mentalibus & inspirationibus interioribus, a Deo cordialiter impressis.

[22] Et vltra prædicta, certis horis completis in orationibus & meditationibus, [vacat orationi:] vacare solebat in caritatiuis operationibus & occupationibus erga pauperes, defectuosos & peccatores, indigentes consilio vel subsidio salutari: laborans efficaciter per exhortationes & salubres admonitiones, pro talibus educendis de deterrimo carcere vitiorum, & de laqueis & de vinculis hostis antiqui dæmonis infernalis, pro ipsisque reducendis ad supremæ veritatis notitiam & infinitæ bonitatis dilectionem perfectam: [exhortatur peccatores ad contemptum mundi,] ostendens euidenter nihil in hoc mundo contineri, quodcumque dignum vel pretiosum extiterit, quod possit comparari thesauro caritatis vel amoris diuini, ex eo quia mundus transitorius sit cum suis concupiscentijs & pertinentijs omnibus, nihil habens præter vanitatem & afflictionem spiritus iuxta dictum Sapientis. [Eccle. 2, 17.] In omnibus autem suis exhortationibus primitus agebat de diuinis præceptis &

sanctæ Matris Ecclesiæ diligenter & firmiter observandis: [& obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ:] & hic modus radicans extitit a primæuo iuuentutis eius cordi, qui semper pullulans cum fructu glorioso, perseueravit indefectibiliter vsque in finem.

[23] Pariformiter ante religionis ingressum, præcepta Superiorum tam verbis quam factis firmiter & districte seruanda fore præferebat. [hortatur ad obedientiam perfectam:] In cunctis licitis obedire suadens, & exemplo rectificans; & etiam post ingressum Religionis, Prælati Ordinis firmiter obediendum esse, tamquam Dei locum tenentibus, monebat indefesse. Et hoc aperte patet intuenti diligenter ordinationes ab ea factas super Regulam, ipsa iam existente Religiosa, signanter super ijs verbis: Subiectæ vero recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. [maxime suas Religiosas.] Vbi sic ait: Sorores meæ, multum diligenter aduertere debetis, quatenus, quandocumque per Superiores vobis aliquod mandatum siue prohibitum fuerit, nullatenus vtamini pro vestro proprio sensu, seu propria voluntate, nec proprijs consilijs; sed magis prompte & voluntarie pro amore Domini nostri Iesu Christi, qui permanens inter nos inferius in terra, cuncta fecit conformiter ad voluntatem Patris cælestis. Debetis igitur obedire, vosque submittere voluntati & determinationi vestræ Præsidentis. Nam melius est proprios sensus, & propriam voluntatem, ac propria consilia pro Dei amore relinquere, quam omnes mundi diuitias acquirere, sensu proprio cum sua voluntate retentis: nec credo aliquam viam fore latiore, nec quæ facilius ducat in æternam damnationem, quam sit propria voluntas; nec aliquam ex opposito breuiorem ad vitam sempiternam, quam sponte renuntiare illi. Quapropter exhortor, & moneo vos ob reuerentiam Domini nostri Iesu Christi, qui in hac valle miseris, a principio vitæ suæ vsque ad finem suæ amarissimæ, dolorosæ atque

acerbissimæ passionis obedire voluit indesinenter Patri suo cælesti, quatenus vestris Superioribus prompte & libere velitis obedire, prætermissa qualibet ostensione displicentiæ, rebellionis, contradictionis, seu excusationis cuiuscumque.

Annotata

Recluserium etiam similis locus dicitur, & persona, quæ in eo degit reclusa seu reclausa, Gregorius Turonensis lib. 1 de Miraculis S. Martini. Nam vsquequaque reclausus erat, id est non egrediebatur e cellula. [Reclusagium.] Reclusagium hoc Corbeiense S. Coletæ extractum esse Guiliermæ Gamelinæ viduæ sumptibus tradit Abbauillæus ex Instrumento Corbeiensi, quod & alios addit pij operis adiutores: Petrina solius Abbatis meminit: oratorium deinde factum est, in eoque exposita imago S. Coletæ, ad quod etiamnum traditur concursus fieri peregrinorum: idque probant miracula & beneficia inferius proferenda.

Mortuus traditur anno 1405.

Anni hi censentur ab 1402 ad 1406, & dicitur medio anno post obitum Confessarij Ioannis Pinet reliquisse hanc vitam solitariam.

CAPVT IV.

De sua diligenti passiva, nec non actiua seu virtuali præceptorum diuinorum obseruantia: & de spiritali cultura Festorum, secundum ordinationem Ecclesiæ sanctæ Dei.

[24] [Inculcat obseruationem mandatorum Dei,] Svmmi Doctoris Iesu Christi testimonium insequens eius humilis ancilla, qui dicit in Euangelio: Si vis ad vitam ingredi,

serua mandata. Inter omnia, de quibus instructas esse voluit quascumque volentes ingredi Religionem, principaliter nitebatur, quatenus de Dominicis præceptis essent plenius informatæ, tamquam de magis necessarijs ad salutem, [& cultum diei Dominicæ & Festorum:] & vt plenius obseruarentur. [Mat. 19, 71] Inter alia summe desiderabat, & pro posse dabat operam, quod dies Dominicales, & alia Festa solennia, necdum a suis Sororibus, quin etiam a cunctis vere Catholicis, plene celebrarentur absque læsura.

[25] [in ijs non permittit cibos emi,] Respectu vero suorum conuentuum vel monasteriorum, numquam suo tempore consentire voluit, quod pro sustentatione vitæ Fratrum vel Sororum, Dominicis vel etiam festiuis diebus ab Ecclesia mandatis, necessaria cibaria aliquatenus emerentur. Et licet libere consentiret, quod talibus diebus eleëmosynæ pro Dei amore ad dictam sustentationem humiliter peterentur vel oblataë reciperentur; [dono oblata alio transferri,] cum hoc tamen non poterat pati, quod talibus diebus bona sic quæsitæ, vel libenter oblata, de loco ad locum quouis modo deferrentur aut ducerentur. Et quamuis interdum ius & consuetudo permittant, quod pro pauperum, ecclesiarum, monasteriorum, [ligna & lapides pro eleëmosyna adferri:] vel hospitalium seu aliorum similium ædificijs vel reparationibus faciendis, a fidelibus Catholicis per modum eleëmosynæ subsidium vel adiutorium conferatur (etiam diebus festiuis, non tamen solennibus) ligna, vel lapides, vel alia necessaria pro prædictis deferendo vel ducendo, ipsa zelo præfato numquam permittere voluit, quod pro suis conuentibus, monasterijs, seu alijs ædificijs construendis vel reparandis, quantumcumque talibus subsidijs indigerent, aliquid modo prædicto deferretur vel duceretur. Semel autem contigit, [ægerrime fert simile factum:] quod pro cuiusdam conuentus ecclesiæ reparatione, quodam festo, non tamen solenni, per inaduertentiam vel indiscretionem

eorum, qui negotium gubernabant, de quibusdam necessarijs illi reparationi, pro Deo tamen & caritative, fuit prouisum. Quod factum postquam ad eius peruenit notitiam, sic dolore fuit & tristitia vehementi turbata, quod pene credebatur locus destruendus, vel motu fulguris subuertendus, [pridie necessaria procurari mandat:] in signum zeli sui mirabilis. Ad hoc, scilicet quod festa solennia deuotissime celebrarentur, volebat, quod in Sabbato Vigilijsque Sanctorum solennium fieret prouisio de necessarijs sustentationi vitæ, tam pro diebus Dominicis quam pro solennibus prædictis.

[26] In pluribus autem ciuitatibus & notabilibus villis deductum erat in consuetudinem & vsum, vel verius in abusum, teneri nundinas siue ferias, & fora seu mercata, Dominicis diebus ac solennitatibus Virginis gloriosæ nec non & sanctorum Apostolorum. Quo percepto, moleste tulit, & grauitè dolens in corde suo, [nundinas festis diebus habitas, feriatis fieri procurat:] sic efficaciter laborauit, tum per prædicationes, quas fieri procurauit, tum per humiles requestus & supplicationes, per seipsam personaliter præsentatas Dominis & Rectoribus earumdem villarum vel ciuitatum, quod dictæ nundinæ seu fora transmutata fuerunt ad feriales dies & licitos. Item aliquos mercatores diuites & potentes, qui destinare consueuerant seruos & factores ad nundinas famosas seu ferias diuersarum regionum, [mercatores ad festos dies colendos excitat:] suis salutiferis exhortationibus ad hoc similiter tam feruenter induxit, quod occurrentibus diebus Dominicis seu alijs magnis festiuitatibus, pergentes in via vel in itinere iam incæptis gradum figebant, & in eisdem locis a progressu cessabant, & prædicta festa solennia vel Dominicalia deuote celebrabant, animalibus quiescentibus, vniuersaque familia similiter faciente.

[27] Ipsa vero personaliter quotiescumque Sorores suas ducebat ad conuentus nouiter constructos, vel quos

visitare disposuerat dudum ædificatos, in quacumque foret patria vel quocumque tempore, [diebus Dominicis & Festis in itineribus subsistit:] videlicet hyemis vel æstatis, pacis vel guerræ, diebus prædictis Dominicis vel festiuis superuenientibus, ibidem remanebat, quantumcumque locus esset tenuis siue modica villa: & hoc fecit pro dictis solennitatibus deuotius celebrandis. Et pluries tres vel quatuor Missas audiens, etiam aliquoties cum nota faciebat celebrari, deuote cum Sororibus aliquando recipiens sacratissimæ Eucharistiæ Sacramentum. Vt autem vnum ex pluribus referam. Contigit namque semel, ipsa redeunte de visitatione cuiusdam ex suis conuentibus in longinquis partibus situati, vt ipsa applicaret in quadam villa paruula, vix duodecim mansiones seu habitacula continente, quodam die Sabbati, per biduum ibidem permansura, propter diem Dominicam videlicet & propter quamdam solennitatem in secunda subsequenti feria continuo celebrandam. In quo quidem biduo, [etiam villula diuinitus protecta:] quamuis illa patria tota foret propter dissidium & guerras illius regionis gentibus armorum plene repleta, circumcurrentibus & continuo molestantibus dictam villulam, nullus omnino hoc interuallo propius accessit, nec quidquam molestiæ villulæ penitus intulit, quamuis continuo viderentur euntes & redeuntes vndique & circumquaque, tamquam desuper protecta fuerit, ancilla Christi ibidem remanente.

[28] Nihilominus quibusdam mercatoribus notabilibus omnino decretum in se firmantibus, & firmatum diligenter exequentibus, vt totum lucrum, quod diebus festiuis vel Dominicis de suis mercimonijs, illis euenire contingeret, [Eleëmosynas ex lucro festo die acquisitas, recusat.] integre pro Deo pauperibus erogarent. Et licet ancillæ Christi multa de talibus tam sibi quam etiam suis valde necessaria per modum eleëmosynæ pluries præsentata forent, nullo modo consentire voluit ad talia percipiendum, sed omnia tali adepta lucro constanter

recusavit, asserens illa non esse iuste nec rationabiliter acquisita.

CAPVT V.

**De quadam ostensione terribilis visionis,
prætendentis ipsam fore datam ad reformationem
Ordinis S. Claræ, licet inuitam.**

[29] In dulcissimæ confessionis Saluatoris benignissimi Christi Iesu testimonio, qui ait: Confitebor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, efficacia multimoda nullo modo priuanda est. [Luc. 10, 21] [In visione] Quædam mirabilis simul & terribilis visio ostensa diuinitus & reuelata fuit ancillæ suæ Coletæ: in qua quidem de omnibus statibus & conditionibus hominum, qualescumque sint, & in quacumque mundi parte consistant euentem habuit notitiam, nec non de regiminibus & gubernationibus eorum: consequenter vero, [intelligit peccata cuiuscumque status,] & quod fortius est nec parum a cunctis fidelibus admirandum, quod ibidem de omnibus defectibus, peccatis, & offensis commissis a supradictis statibus, tam maioribus quam minoribus, contra diuinam maiestatem & eius sanctissimum beneplacitum, extitit euidenter & plene certificata; [& pœnas illis debitas:] nec non de pœnis horribilibus & grauioribus tormentis, quibus illorum quilibet punitus erat vel puniri debuerat, iuxta suum demeritum vel quantitatem delicti. Vnde nec immerito visis tot tormentis & pœnis, incurrit in tam vehementissimum fremitum & terrorem, quod semper æstimabat & continuo per octo dierum spatium, se fore casuram præcipitem in eisdem tormentis immanissimis & atrocibus pœnis. Finita dicta visione, [præ timore manum obici ferreo adstringit:] & tandem ad se reuersa, reperit stipitem vel obicem ferreum, seu virgulam in medio fenestrellæ paruulæ suæ mansionis, quam ex vehementia prælibati terroris firmiter

adstringens, sic arripuit præ timore dicti casus horribilis, quod vix ab illo manum post longum temporis spatium potuit amouere. Sed nec minus in eius mente radicata firmiter extitit & impressa dictæ visionis memoria, numquam inde per eius vitæ spatium abolenda, cum recordaretur de dictis statibus, offensis atque pœnis & tormentis: [summa tristitia afflicta,] ratione quorum omnium ibidem præuisorum, & maxime defectuum seu offensarum commissarum in magnum præiudicium diuinæ Maiestatis, concepit in corde suo per longa tempora tristitiam quamdam vehementissimam & excessuum dolorem: propter quod die noctuque feruenter & humiliter Deo preces & orationes speciales iugiter fundebat, [orat pro conversione peccatorum:] pro conversione pauperum delinquentium & peccatorum: in quibus deuotis orationibus & precibus summa Dei bonitate, gratia, & misericordia finaliter ab eo meruit exaudiri.

[30] Fuit enim sibi reuelatum cœlitus, quod peroptata correctio peccatorum iuxta suum desiderium tandem adimpleretur per Reformationem Ordinum a Patre S. Francisco prius institutorum: pro qua quidem reformatione iam dictorum Ordinum executioni debitæ demandanda, refertur, quod in ipsorum primordio nonnullis deuotis personis ostensum fuit in spirituali visione; Virginem gloriosam coram Nato suo dignissimo Domino nostro Iesu Christo dulciter & humiliter astitisse, cum præ nimia peccatorum multitudine diebus illis enormiter & sine mensura regnantium, [a S. Francisco, cum S. Dominico] signanter superbicæ, carnalitatæ & auaritiæ, tres lanceas fortiter vibrans, emittere disponebat ad totius mundi machinam penitus abolendam. Cui dicta Mater dulcissima Christi suavissime persuaso, præsentauit dictum Patrem beatissimum Franciscum, cum suo fideli comite, beato videlicet Dominico, velut duos bonos campi-ductores, & virtuosos bellatores, prædicatores efficaces contra prædicta vitia

pro correctione seu conuersione peccatorum. [in correctionem peccatorum electo,] Pariformiter idem gloriosus sanctissimus Franciscus, præsentate dicta gloriosissima Virgine Maria, cum beatis Angelis eidem Christo præsentauit ancillam humilem Coletam, requirens ipsam humiliter ab eodem sibi dari pro reformatione suorum Ordinum facienda, [apud Deiparam Virginem impetratur in reformationem Ordinis:] & ulterius supradictorum pauperum peccatorum & delinquentium, quos ipsa viderat de cunctis statibus in priori visione: & quod ipsa foret prima & principalis in prædictis omnibus peragendis. Quæ quidem præsentatio Deo non parum placabilis extitit & grata, qui benigne condescendens requisitioni petitionique Francisci sanctissimi, cuncta postulata sibi libere concessit & gratanter. De quibus omnibus ancilla Dei per reuelationem plene certificata, læta nimis efficitur pro reformatione correctioneque futuris iam præuisis: sed non parum tristis ex eo, quod ipsa principalis & primaria tam a Deo quam a Virgine gloriosa & S. Francisco penitus censebatur, & ad hoc insufficientem & indignam se reputans, numquam omnino sibi placere potuit, [non audet assensum præbere:] nec plene cor suum voluit applicare pleno consensui de dicta primitate; licet de diuino beneplacito, super hoc in suis deuotis orationibus sibi fuerit intimatum: interdum excusans se propter grandem ignorantiam, qua se simplicem asserebat filiam & penitus ignaram: aliquando vero ratione voti iam emissi de non exeundo reclusagium: & plurimum etiam dubitans, illusionem dæmonis vel deceptionem in præfatis ostensionibus latitare.

[31] Quibus de causis non parum perplexa, recurrere decreuit ad suffragium orationum & perfecti consilij sanctarum personarum, [viros doctos & sanctos consulit:] quas nouerat, fama referente, deuotione perfectas, scientia veraque conscientia pollentes, Deum timentes pariter & amantes: quarum omnium habere studuit

consilium super praedictis & eorum deliberationem: qui per Dei gratiam omnes vniformiter dixerunt, & iudicauerunt ipsam debere libere consentire. Et ad maiorem securitatem diuini beneplaciti super hoc, quod dicta reformatio pariter & correctio per eius medium consummari deberet, Altissimi bonitas signum eidentissimum, & sensibile multiplex, per modum qui sequitur, adiecit: Nam primo per triduum, [efficitur muta] ad instar Zachariae, patris S. Ioannis Baptistae, loquela priuata penitus & muta remansit; consequenter per aliud triduum caeca fuit, & nihil videns omnino, [& caeca,] quousque concessioni diuinæ praedictæ de se factæ consensum praerberet: [donec consentiat:] quo vero dato, visum recuperavit perditum, similiter & loquelam.

[32] Vltterius non minoris admirationis signum praecedentibus subsecutum est. [arborem pulchram in cella exortam,] Nam in suo paruo strictoque reclusagio, diuina peragente gratia, subito venit & in promptu creuit arbor quaedam valde placabilis & mirabilis pulchritudinis: cuius folia bene composita viuaciter florebant, fului flores aureo splendore splendebant, odor vero delectabilis & confortabilis valde exin resiliebat: sub qua pullulabant multæ paruulæ arbores pulchræ ac multum placabiles, maiori tamen inæquales. [verita illusionem, eijcit:] Quibus visis sic placentibus & gratissimis, dubitare coepit, quod esset illusio daemonis infernalis, impedimenta sibi quamplurima conferentis, & multipliciter molestare non desinentis: quapropter dictam arborem cum sibi cohærentibus funditus eradicauit, & extra reclusagium viriliter eiecit. [plures substitutas videns,] Post paucos autem dies voluntate diuina similes arbores per omnia, cum alijs adhærentibus, a primis non differentibus, renatae fuerunt, & in forma simili sibi primitus demonstratae, & vltra praedictæ arbores de loco in locum sibi videbantur apparenter transferri. [se designari per arborem principalem intelligit:] Et tribus signis praetactis

experimentaliter perceptis, cognouit euidenter, quod esset opus Dei: & ampliori consequenter dilucidatione plenius intellexit, quod arbor principalis suam designaret personam, ceteræ vero ceteros vel ceteras, viros vel mulieres, qui vel quæ per eius medium pertingere debebant ad reformationis & perfectionis apicem peroptatum. Sed translatio multiplex dictarum arborum localis prætendebat eius excessum varium, virtuosum ædificium, & vtilem profectum in plures regiones.

[33] Et tunc vires mentis recolligens, mirabilem visionem & terrificam sibi ostensam considerando, [omnibus mature perpensis,] nec non & requisitionem de se factam per Franciscum sanctissimum a Deo liberaliter concedente, cum consilio notabilium personarum, sibi virtuose collato: reuoluens animo diligenter insuper & signa de perditione, cum subsequenti recuperatione tam visus quam loquelæ, nec non arboris eradicatæ subitoque renatæ; dubitare cœpit, ne Dei reuerentiam offenderet, [præbet consensum:] si iuxta sui beneplacitum amplius consentire differret; & humiliter Deo se recommendans in suis sacris orationibus, assensum præbuit, deliberans toto corde possetenus operam dare iuxta gratiam a Deo sibi collatam, vel conferendam dictæ reformationi: reservato tamen, quod in hoc facto nullatenus foret libenter principalis. [donatur cœlitus cognitione omnium ad reformationem necessariorum:] Et statim post prædictum consensum ad adimplendum diuinum beneplacitum, infusa sibi cœlitus extitit perfecta cognitio de cunctis necessarijs & necessario requisitis pro fine debito plenius assequēdo: de quibus, inquam, necessarijs rotulum quemdam paruum statim composuit & sic breuiter scripsit, quod pro qualibet materia præcise signabatur vnum solum memoriale seu breuis clausula. Demum satis cito, diuina providente clementia, superuenere sibi plures huiusmodi gentium, multumque convenientium pro conferendo dignum adiutorium. Inter quos pro regimine

suæ conscientiæ pariter & animæ salute a Deo sibi missus extitit venerabilis Pater, de quo supra dictum est, Frater Henricus de Balma, prænominatæ Religionis & Ordinis S. Francisci Professor: vir vtique magnæ perfectionis, [adiuuatur ab Henrico de Balma Minorita,] amans & timens Deum ab infantia, penitus ignarus in transitorijs rebus & temporalibus, sed discretus & prudens in spiritualibus & diuinis, pius insuper & misericors erga pauperes & peccatores. Cuius rei gratia ancilla Dei gloriosa de illo sæpius testimonium perhibebat, numquam peccatorem, quantumcumque elongatum a Deo, sine remedio consolationis a sua præsentia recessisse. Quantos autem & quot peccatores & peccatrices ipse conuerterit ad viam salutis, [homine sancto.] & reduxerit ad mundi repudium & sacræ religionis ingressum, a solo Deo creditur numerandum. Os nempe suum fere semper diuinis verbis affluebat. Quampluries etiam infirmis diuersarum passionum solo signo Crucis plenam sanitatem noscitur contulisse, similiter ab aliquibus obsessis spiritum malignum eiecisse. Quid plura? Eius enim in terris conuersatio plus cunctis videbatur cælestis quam terrena, & diuina quam humana: vt de se cum Apostolo fateri posset quod scriptum est: Nostra conuersatio in cælis est. [Phil. 3, 20.]

Annotata

[Rotulus.] Rotulus, alijs Rotula, Germanis rodele, Belgis & Anglis facta contractione, rolle. codicillus, catalogus, quia veteres solebant sua scripta conuoluere quasi in rotulas, & potissimum leges & constitutiones publicas.

Fuit per 34 annos Confessarius S. Coletæ, ab anno 1405, ad 1439, quo traditur 23 Februarij mortuus Vesontione, [Henricus de Balma.] & in capella S. Annæ in præsentia S. Coletæ sepultus & ad eum diem Martyrologio Franciscano inscriptus: de quo Abbauillæus narrat, quod Auenione

transiens & visitans Sororem Mariam Amentam, celebrem eo loci Reclusam, monitus fuerit Hierosolymitanæ peregrinationis consilium (quod animo agitabat) conuertere in obsequium Reclusæ Corbeiensis, ad multa & magna cum eius auxilio efficienda a Deo destinatæ. Plurima ab hoc Confessario, Patruo suo sibi aliisque narrata, de virtutibus & miraculis S. Coletæ, Soror Petrina de Balma, Henrici neptis refert, vt infra videbimus.

CAPVT VI.

**De accessu eius ad præsentiam Summi Pontificis:
& qualiter ab eodem recepta fuit
ad Religionem pariter & professionem,
& qualiter instituta sit Abbatissa.**

[34] Quia Doctore teste egregio, beato videlicet Ambrosio, Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia; eius opus in hac ancilla sua Coleta dubitari nequit iugiter adfuisse: cuius ope mirabiliter prouisa, prædicto venerabili Patri proposuit, quod in corde pro dictæ reformationis executione se transferre personaliter ad præsentiam sanctissimi Patris Domini nostri Papæ cogitabat. [Ad Papam pergere constituit,] Illo tamen exterius adiuuante, qui mentem eius interius illustrabat; ad maiorem securitatem & honorabiliorem successum in cunctis, immisit Altissimus notitiam de prædictis, scilicet eius vita seu desiderio sancto, [adiuta a Baronissa de Brisaio:] in corde cuiusdam potentis a Dominæ Militissæ & Baronissæ, relictæ pro tempore nobilis & potentis viri, Domini de Brisaio, filiæ cuiusdam non minus nobilis Domini de Rupe Coherdi. Quæ quidem Domina diuino instinctu permota, sua dulci bonitate personaliter venit ad reclusagium prænominatæ ancillæ Christi, situatum in loco de Corbeya: vnde receptis multis colloctionibus deuotis, diuinum amorem animæque salutem cum ædificatione multa pariter & consolatione tangentibus, ab

ea animata viriliter extitit Domina prædicta, pro totoque posse suo deliberata, præbere fauorem, subsidium & adiutorium eidem, pro suo proposito sanctoque desiderio finaliter adimplendo: & incontinenti sic efficaciter ad hoc laborare cœpit, cum coadiutoribus a Deo sibi transmissis, quod in breui tempore, tam ex dispensatione Papali quam ex alijs remedijs conuenientibus & opportunis, plene procurauit liberum egressum illius a dicto reclusagio: non obstantibus impedimentis tot & tantis ab hoste maligno procuratis, vel propriis viribus illatis. Percipiens autem dicta Domina manu Dei peragi circa præfatum negotium, attentis varijs conditionibus & oppositionibus iam subactis, quæ viribus humanis insuperabiles apparebant, cum omnibus impedimentis tot & tantis exclusis & euacuatis, humiliter & caritative se præsentauit personaliter accessuram cum suis tam familiaribus & seruatoribus, [eaque comite,] quam iumentis, & temporalibus bonis, pro conductu saluifico pariter & reductu vsque ad præsentiam Summi Pontificis Domini nostri Papæ. Quam benignam & caritatiuam oblationem cognoscens ancilla Domini prædicta, tamquam procedentem a diuino beneplacito, libenter acceptauit & humiliter assensit. Qua de re dicta nobilis Domina concepit in corde suo grandem lætitiã, per hoc æstimans, & merito, gratiam singularissimam a Deo sibi collatam. Et tandem suprema Dei bonitate cooperante, [iter aggreditur:] consolabiliter & salubriter illam duxit ad prædicti Pontificis præsentiam, & consequenter reduxit, illi conferendo cum ceteris de sua comitiua grandissimæ caritatis & humanitatis obsequia cum multa deuotione: & in præfato conductu comites vniuersi sic a Deo confortati, conseruati, nec non & consolati fuerunt, quod lætabantur esse præsentem ancillæ prænominatæ, tamquam exemplatrici totius sanctitatis, relucenti planissima doctrina, pro cordibus illorum inflammandis ad Dei dilectionem perfectissimam, timorem verissimum, & eius humillimum seruitium; ad fugam peccati finaliter, & ad

observantiam diuinorum præceptorum; cum gestibus honestis & conuersione cælica, vt videretur magis Angelus quam persona terrestris.

[35] [equo insidens meditationi vacat:] Interdum pro pia compassione suæ teneræ iuuentutis, illam equitare compellebant: vbi quasi nunquam otiosa, sed in bonis indesinenter semperque occupari consueta, statim post ascensum super bestiam feruenter & viuaciter dedicabat se diuinæ meditationi, quoad penitus rapta in spiritu menteque transformata, sic eleuabatur in Deum, quod omnino nesciret, quæ vocetenus dicebantur vel opere fiebant circa eam, acsi penitus mortua fuisset, nec propter hoc vacillare videbatur ad dextram vel ad sinistram, sed constanter & firmiter ac immobiliter se tenebat, [ab Angelis in via sustentata creditur:] acsi foret ab Angelis (sicut fuisse creditur indubie) sustentata. Aliquoties vero peditando per viam fortem, difficilem & asperam, videbatur aspicientibus non tangere terram, sed magis volans in aëre vel in aëre eleuata, longum pertransire spatium parua temporis mora, vix ab alijs fortiter ambulantijs adipiscenda.

[36] [præmittit fæminam ad Pontificem,] Per plures etiam dies, antequam peruenirent ad præsentiam prædicti summi Pontificis, præcedere fecit quamdam notabilem & discretam fæminam, ad intimandum eidem Patri sanctissimo causam & intentionem sui progressus ad illum. Quæ tamen præcedens fæmina sic horribiliter infestata seu persecuta fuit a crudelibus & inuidis super intercepto laudabili bono, dæmonibus videlicet infernalibus, [a dæmonibus vsu rationis priuatam,] quod sensu perditio stulta facta est; ne penitus ad optatum posset terminum peruenire, nec audientiam captare, nec per consequens verbis eius dictus Pater sanctissimus fidem posset adhibere: & ad maius impedimentum confusibilioremque repudiationem totius boni peracti seu

incepti sanctissimi negorij prælibati, dæmones suis illusionibus eam cogebant ad gestus inordinatos & inhonestos & horribiles, sic quod nemo audebat ei appropinquare. Incedebat namque insensata, & penitus expoliata, & sic afflicta direque persecuta, cum difficultate nimia & vehementi dolore non sine cordis amaritudine, peruenit ad ciuitatem Nicænam, vbi præfatus Dominus Papa pro tunc residebat. Ad cuius aures satis cito rumores peruenerunt de aduentu cuiusdam mulieris in eandem ciuitatem, quæ sensu perduto feruenter requirebat ad summi Pontificis venire præsentiam, pro certis sibi commissis negotijs eidem intimandis. Placuit autem Altissimo cordi sui Vicarij sic efficaciter inspirare, quatenus subito fæminam supradictam, prius vestibus decentibus communitam & ornatam, ad sui præsentiam venire mandaret, quod & factum est. Mirabile dictu! Statim nempe, [sed viso Pontifice sanata:] postquam adducta fuit ad dicti Patris præsentiam, recuperato sensu plenarie, nullo signo de eiusdem amissione remanente, valde prudenter & discrete declarare cœpit causam aduentus sui, nec non & ancillæ Domini subsequenti & in breui venturæ: quam idem Pater sanctissimus libenter audiens, cuncta, quæ sibi de materia prædicta disposuerat explicare, gratanter accepit. Qua siquidem materia plenius examinata, concepit in corde non modicam consolationem; aperte cognoscens illud mysterium opus esse diuinum signanter ex mutatione subita mulieris prælibatæ, que, sensu priuata, confestim incipiens recitare factum ancillæ Domini, sic erat prosperata, & sic hostis antiqui fallacia mirabiliter defraudata. Nam quod fraudulenter composuerat ad sancti negotij perturbationem, finaliter euenerat ad laudem, adiutorium & commendationem.

[37] Postquam vero præfatus Dominus Papa sufficienter extitit informatus, tam viuæ vocis oraculo quam euidenti signo de causa, propter quam ancilla Dei sæpedicta

venire festinabat ad sui præsentiam, paucis interiectis diebus, ipsa cum suis applicuit ad dictam civitatem. Quo scito, Summus Pontifex locum congruum & tempus conveniens disponere curavit, quo posset eius adire præsentiam pro audientia fauorabiliter obtinenda. [præmissis precibus;] Tunc ipsa iuxta morem ad sacrificium orationis recurrens, se factaque sua totis viribus Domino recommendans, iter arripuit cum simplicitate cordis & confidentia, demissis oculis humilitate grandi, [accedit ad Pontificem,] sed elevato corde totaliter ad Deum, cum dicto Patre nobilique Domina prædicta, pluribus etiam aliis notabilibus personis de sua comitiua. Postquam vero venit ad Sanctissimi Patris præsentiam, ipso dulciter oculos levante, dictam ancillam pie respicere benigneque salutare volente, [ad conspectum eius in terram collapsum:] Diuina providentia signum admirationis non modicæ celeriter interiecit. Nam dictus Christi Vicarius in alta cathedra residens, ad primum adspectum humilis ancillæ prænominatæ, subito cecidit in terram, & nihilominus in prædicto casu diuinitus percepit in instanti, quæ esset, & quid quæreret ancilla prædicta: non parum inde perterritus, licet ipse foret mentaliter in spiritu consolatus. Et confestim surgens, motu proprio ad puellam accessit, sumens propria manu quamdam d bursellulam, pendentem ad eius corrigiam, rotulum continentem, in quo scripserat materias negotij peragendi, per memorialia brevissima, prout a Fratibus est notatum. Et displicato dicto rotulo, legens per singula memorialia, Deo docente, clare cognovit cuncta necessaria pro Religione vel eius reformatione. Consequenter adepta gratia cum benevolentia summi Patris gratanter est exorsa, [exponit causas sui aduentus:] sibi cor aperiens, & causam manifestans, pro qua venerat, licet eum non lateret, & cuncta, quæ disposuerat, explicavit humiliter.

[38] Inter quæ duo principaliter exposcit. Primo, quod placeret suæ Sanctitati, quod ad vitam Evangelicam, videlicet ad secundum Ordinem per beatissimum Patrem Franciscum institutum, qui dicitur communiter Ordo pauperum Dominarum, cuius Virgo gloriosissima Clara fuisse fertur primiceria, de sua scilicet Domini Papæ licentia, [petit admitti ad Ordinem S. Claræ,] posset assumi. Cuius Ordinis Regula dicitur Evangelica, sicut Regula Fratrum Minorum. Quæ duæ Regulæ dictorum Ordinum, scilicet Fratrum Minorum & pauperum Dominarum, a dicto Patre sanctissimo Francisco primitus institutæ, & a Spiritu sancto pariformiter inspiratæ, & ad similem & æqualem statum perfectionis ordinatæ, scilicet Apostolicum & Evangelicum, similiter incipiunt per hunc modum: Regula, & Vita Minorum Fratrum hæc est: & forma vitæ Sororum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium observare &c. Secundo poposcit reparationem Ordinum prædictorum, a dicto beato Patre Francisco prius institutorum. [& virumque Ordinem S. Francisci reformari:] Quæ quidem postulationes, quamvis rationabiles apparent, & iustæ secundum prædicti Domini sui Pontificis arbitrium; nihilominus tamen propter diversitatem iudiciorum & opinionum, aliquantulum differre decrevit assensum; quia maiori parti consilij siue assistentium videbatur iuuenis & tenera filia, statusque postulatus austerus, fortis & difficilis, & magnæ perfectionis. Quapropter non erat ei faciliter iuxta prædictorum arbitrium a Summo Pontifice condescendendum, quod nec fecit in promptu, saltem apparenter: quamvis in corde foret sibi materia grata & factibilis seu facilis, & existimabat veridice, quod esset opus Dei iuxta secretam sibi a Deo revelationem ostensam. Et quamvis prolongaret, Deo permittente, pro maiori notitia sancti desiderij virtuose, puelleae perquirenda, pluries illam interrogans & de pluribus secretis, de suis responsionibus prudentibus & discretis

valde contentus & ædificatus, semper tamen determinatus erat ad gratum condescensum.

[39] [contradicientibus peste sublatis,] Intra cuius prolongationis spatium, quo expectabatur Sancti Patris assensus, superuenit in dicta ciuitate valde grauis & terribilis pestis, nonnullos de principalioribus contradicientibus sic letaliter inficiens, vt raptim expirarent: vnde boni consilij capaces æstimare compulsi sunt, tales fuisse punitos propter impedimentum præstitum ancillæ Dei prædictæ. Et postmodum satis cito prædictus Pater Sanctissimus, considerans mirabilia, quæ quotidie demonstrabantur tamquam opera Dei, decreuit amplius materiam non prolongare. [impetrat vtramque petitionem:] Quinimo sibi liberalissime concessit illa duo supradicta, pro quibus illa supplicauerat humiliter suæ Sanctitati: cognoscens certissime diuinum beneplacitum super hoc: cui nullatenus obuiare dignum existimabat; cum esset Christi Vicarius in terra. Idcirco & ancilla Dei vocata personaliter ad sui præsentiam cum eius comitiua, nec non & aliis plurimis personis, tam Ecclesiasticis quam secularibus, præmisso solenni sermone pro commendatione status Euangelici seu Apostolici per ipsam assumendi, cum humilitate dignaque reuerentia ipsemet Summus Pontifex personaliter eam recepit ad Religionem & supra dictum Ordinem S. Claræ, [in Ordinem S. Claræ recipitur] & nullum admittens interstitium neque dilationem, [professionem facit:] admisit eamdem ad dictæ Religionis sanctam professionem, super caput eius velum imponens, & cordam illi cingens iuxta morem Ordinis, commendans sibi plene seruandam Regulam beatissimæ Claræ, & consequenter ibidem illam benedicens & consecrans, [Abbatissa consecratur:] eamdem in Matrem & Abbatissam instituit cunctarum Religiosarum, exinde reformandarum vel ingredientium seu ingressurarum in Ordine prædicto. Et hæc cuncta peregit sic humiliter,

deuote & reuerenter & feruenter, quod plurimis admirantibus Angelus Dei esse videbatur: intantum quod plures Cardinales & Domini seculares, cum Patre Generali præfatæ Religionis S. Francisci, qui præsentés aderant, testimonium ferebant, numquam se vidisse dictum Patrem Sanctissimum aliquem eius actum vel officium solennius, nec forsitan æque solenniter celebrasse.

[40] Quibus omnibus finitis & terminatis, dictus Pater locutus est Ancillæ præfatæ cum affectione multa, diligenter exhortans eam prudenter agere cum discretione, & vere, perfecte & fideliter custodire Regulam atque vota promissa, [accepta adhortatione ad constantiam] continuando perseveranter de bono in melius vsque in finem. Vltèrius multum caritative semetipsum obtulit in eius adiutorium & confortationem, liberalemque communicationem cunctorum necessariorum pro suis negotiis honestis & opportunis: ipsam affectuose requirens, quatenus ad eius patriam natiuam vellet se transferre, per ipsum ibidem caritative & dulciter tractanda, recipienda & providenda. Post hæc insuper ad suum confessorem, qui secum venerat, illam carissime recommisit, indicens illi, ne quouis modo dimitteret illam. Demum præfatam Dominam eius ductricem fidelem instanter rogauit, vt eam securam reduceret ad patriam natiuam. Et exin respiciens ceteros, alta voce, [& benedictione, dimittitur:] cunctis intelligibili, dixit: Vtinam ego pro nunc dignus essem quærere vel procurare panem pro victu seu alimento præsentis Religiosæ. Et sancta benedictione recepta, a dicti Patris præsentia recesserunt.

[41] f Nec multo post ipsa percepit maiorem a quibusdam solito honorem, ex eo potissime, quod Mater appellabatur: ex quo scire cupiuit, quid hoc significabat, [dolet de honore sibi delato:] & vnde procedebat. Et facto responso, scilicet quod Sanctissimus Papa benedixerat

eam, & instituerat Matrem & Abbatissam; dolenter sustinuit, & desolata nimis extitit: numquam inclinare valens cordis assensum ad huiusmodi præeminentiam, quantumcumque super hoc a suis persuaderetur: sed solum se credebat simplicem Religiosam, non habentem Officium Abbatissæ. Sed Deo placuit, [titulo Abbatissæ liberari petit.] quod ipsa penitus ignoraret se fieri Abbatissam, quousque talem se factam reperiret. Postquam autem certificata fuit de veritate, pro viribus intendit ad dictum Patrem Sanctissimum Dominum Papam remittere legatos vel internuncios, humiliter supplicando affectuque vehementi requirendo, quod vellet ipsam a tali dignitate vel officio penitus absolutam reddere. Quibus ille respondit: Quod factum est factum sit, & factum erit & factum remanebit.

Annotata

Erat hic Benedictus XII, dictus XIII, in longo schismate Antipapa successor Clementis Antipapæ: [Benedictus 13 Antipapa.] quem S. Vincentius Ferrerius, cuius infra num. 84 fit mentio, doctrina, sanctitate & miraculis illustris defendebat. De schismate illo passim Theologi & historici agunt.

[Nicæa vrbs] Nicæa vrbs maritima ab anno 1388 regioni Pedemontanæ adiecta, ad Ducem Subaudiæ spectat. Charta conventionis excusa est a Guichenone in Probationibus ad Historiam genealogicam familiæ Sabaudicæ pag. 224 & seqq.

MS. Vltr. buccellam, an bursellula est parva bursa seu crumena.

Gallicismus est, quo Franci desployer dicunt explicare, expandere: sic num. 50 implicare accipitur pro expendere, quod employer a Francis vertitur.

Testatur Abbauillæus, ex quadam epistola Sororis Catharinæ Rufinæ haberi, quod hic conflictus humilitatis & obedientiæ duravit a festo Conceptionis Virgineæ, 8 Dec. vsque ad diem S. Lucæ 18 Octobris. Sororem autem prædictam S. Coletæ coæuam facit.

CAPVT VII.

De inchoatione reformationis Ordinis S. Claræ, & de persecutionibus sibi factis.

[42] Et quoniam, vt ait Apostolus ad Timotheum, Omnes, qui pie volunt viuere, persecutionem patiuntur. [2 Tim. 3. 12] Et Sapiens: Fili, accedens ad seruitutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem. [Eccli. 2. 1] Humilis ancilla Iesu Christi Coleta, postquam regressa fuit de præsentia Domini nostri Summi Pontificis, ab eodem, licet ignorans, instituta in officium Matris & Abbatissæ dictæ reformationis, cæpit diligenter & solícite cogitare, ac dare feruenter operam executioni tam virtuosi negotij, [Instinctu diabolico,] suæ prouidentie commissi. Sed malignus satanas, aduersarius omnium bonorum, & tantum fructum ferre non sustinens, quantum per eius medium clementiam Saluatoris inchoare cernebat pro salute pauperum animarum; tam per se quam per suos complices illi persecutiones terribiles & importabiles inferre conatus est, intantum quod omnes modi gentium & omnes status, etiam noti siue cogniti, qui prius erant amici, totis viribus impugnare nitebantur illam, impropertantes eidem, quod esset sortilega vel incantatrix aut dæmonum inuocatrix. [conuicia inuidorum patitur:] Et pluribus opprobriis execrabilibus multipliciter affectam, in infamiam tam vituperabilem impellere conabantur, quod nullus eam hospicio proprio penitus recipere audebat: & sic tandem atroci persecutione multimoda compulerunt eam natale solum egredi celeriter, ac in extraneam atque alienam proficisci regionem & patriam longinquam: [a patria exul,] in qua sibi consolabiliter &

consolatorie prouidit Altissimus de quadam nobilissima piissimaque Domina Blanca, tunc Comitissa Gebennarum. Quæ multum læta siue congratulans illam aduenisse, cum caritate nimia benigne eam recipiens in domo propria, [benigne excipitur a Blanca Comitissa Geneuensi:] suis meritis & doctrinis valde profecit in Dei cognitione, suæque propriæ conscientiæ alleuiatione; intantum quod de post cum sibi attinentibus cunctis vix vel numquam ab ea voluit separari. Et inde concessit eidem tam pro se quam pro sua comitiua mediam partem castri, dicti de Balma, in quo dicta Domina moram trahebat. [in castro de Balma viuit secundum Regulam S. Claræ.] Et ibidem humilis ancilla Christi suum primitus cæpit officium exercere, diligenter obseruans & obseruare faciens Ordinem & Regulam S. Claræ.

[43] Et in eodem loco permansit, quousque a Sede Apostolica de conuentu Bisontinensi vel potius eidem conuentui de sua persona notabiliter extitit prouisum. [ab hac educitur Vesontionem:] Ad quem quidem conuentum dicta Domina Comitissa cum nepte sua, quæ postmodum extitit Ducissa Bauariæ, & Comitissa Palatina Rheni, eam honorifice cum solenni comitiua iuxta condecentiam, devote perduxerunt, & ibidem cum ea per longum satis spatium permanserunt. In dicta vero comitiua ducentium illam ad dictum conuentum Bizontinensem, erat quidam vir nobilis, scutifer dictæ Comitissæ, virtuosus, amans & timens Deum, qui certitudinaliter asseruit se vidisse quamdam mirabilem claritatem seu luminosum splendorem circa præfatam ancillam, nedum semel, [splendore quodam illustrata apparet:] sed quotiescumque vertebat oculos ad intuendum ipsam. Demum vero nobilis Domina prædicta secundum quod debita ratio poscebat, ab eadem se decreuit corporaliter absentare, recepta possessione dicti conuentus & personali collocatione; quamuis mentaliter & ex affectione numquam esset separanda, quin per totum

vitæ suæ spatium esset sibi coniuncta per vinculum perfecti amoris & dilectionis. Cuius rei gratia ordinavit in suo testamento, [auellitur a Blanca Comitissa,] quatenus vbicumque migraret ab hoc seculo per mortem naturalem, corpus seu cadaver deferretur in aliquem conuentum Ancillæ prælibatæ: [dein in conuentu S. Claræ sepulta:] quod & factum est. Nam post decessum eius honorifice sepulta dignoscitur in Conuentu S. Claræ de Polignaco, in quadam capella per dictam eius neptem Ducissam Bauariæ constructa funditus & ædificata.

[44] Postquam vero præfata nobilis Domina cum eius comitiua recessisset ab ancillæ Christi contubernio, non parum virtuoso, pacata dulciter ipsa cum sponso Christo cœpit viriliter continuare sanctam Observantiam Evangelicæ Regulæ, videlicet S. Claræ, [Vesontione admittit plures sanctimoniales] iam inchoatam in castro, de quo supradictum est, Dominae prælibatæ. Et quia nondum habebat Religiosas nisi paucas vel in paruo numero, confestim quamplurimæ nobiles perfectæ & deuotæ mulieres vndique [confluxerunt] ad illam, suppliciter deprecantes, Spiritu sancto agitante, sanctæ Religionis habitum cum humilitate. Quibus diligenter examinatis, recepit ipsa gratanter quas reperit idoneas: sicque tempore breui magnum excreuit in numerum sua sancta comitiua. Et quamuis absque Religiosis, & Sororibus prius fuisset Abbatissa, consequenter propter abundantem multitudinem personarum, ingressum Ordinis affectuose requirentium, necesse fuit multiplicare conuentus & monasteria tam Sororum quam Fratrum. Sicut enim in illa visione terribili sibi cœlitus ostensa nouerat, Diuinam clementiam grauiter a quolibet statu nimis offensam, ad eandem cunctis statibus reconciliandam, viri & mulieres, Ecclesiastici & seculares, in prædicta reformatione seu correctione per eius medium, nedum in vno Ordine, sed etiam in tribus per S. Franciscum institutis, incessanter efflagitabant [admitti]

prout apparet in conuentibus & monasteriis, per eius medium constructis seu reformatis, tam Fratrum quam Sororum, [videt plura monasteria reformari aut extrui,] & in diuersis nationibus & in terris siue locis, vtpote in Francia, Alemania, Burgundia, Sabaudia & in Lingua-Occitana. Et posito, quod dictorum conuentuum reformatorem tam virorum quam mulierum, Fratrum vel Sororum, satis paruus sit numerus, respectu tantorum statuum & tot Ecclesiasticorum & secularium; verumtamen de cunctis fere talibus statibus seu conditionibus gentium ad hanc modicam congregationem aliqui peruenerunt. Nam quidam ingressi sunt, personaliter & de facto sumentes habitum; alij vero iusta de causa legitime impediti quoad talem ingressum, affectu tamen, corde volenti non minus sunt illi animo coniuncti. Cuiusmodi sunt omnes, qui fauorem & adiutorium dictæ reformationi cum efficacia non modica contulerunt, & adhuc conferre non cessant: veluti plures Reges & Reginae, Duces, Comites & Barones, Milites & Burgenses, [Reges & Principes aliosque conferre necessaria,] in vtroque statu siue sexu, Mercatores & ceteri Domini, Dominae pariter & Domicellae, nobilesque personae quamplurimae, qui vel quæ singulari deuotione cum affectione cordiali ad ipsam ancillam Christi pro dicta reformatione peruenerunt: quidam radicatus aedificari faciendo partialiter vel in toto; alij fundando Conuentus notabiles iuxta sui vocationem: alij multipliciter adiuuando intuitu puræ caritatis, ad misericordiam Dei facilius obtinendam. Plures vero nobiles tam Dominae quam Domicellae, [habitum assumi a personis illustribus,] personaliter accesserunt, nobilitati cum honoribus & diuitiis plene renuntiantes, viam Religionis amplecti cupientes, defectus proprios corrigentes: & quod plus est, de cunctis Religionibus aliis nonnulli istam amplectentes, [etiam aliorum Ordinum:] vt puta S. Benedicti, S. Augustini, S. Bernardi, Carthusiensium, Cælestinorum & Canonorum seu Canonissarum, & plures ex similibus statui proprio

resignantes, cum licentia & dispensatione debitis, ad hunc statum prætextu maioris perfectionis se transtulerunt in dicta reformatione.

[45] Quæ, inquam, reformatio quam assumentibus utilis, Deo vero grata sit & acceptabilis, ostendere dignatus est ancillæ suæ quodam evidenti signo. Nam cum semel cum quodam Patre suo Confessore conferret de necessariis, [funiculum album e cælo dilapsum accipit,] congruis & opportunis pro dicta reformatione, vidente Patre qui præsens erat, cælitus emissa fuit inter eius brachia descendens cordula quædam, artificialiter & miro modo composita siue facta, velut nix albissima, visibiliter & subito dilapsa: quam reuerenter & humiliter receptam confestim duplicauit, nihil tamen verbo neque signo cuiquam manifestans. In quo potest notari, per cordam [significari] statum reformationis, cordas gerentium in vtroque sexu, [omine optimo:] scilicet Fratrum & Sororum, & per albedinem munditiam seu puritatem cordis & corporis & nitidæ conscientiæ, quæ relucere debet in illis. Sed per descensum a cælis conuenienter designatur acceptatio diuina tam reformationis quam Reformatorum; sed potissime Reformatricis, per cuius medium omnia iuste, sancte & pie peraguntur.

[46] Nec prætermittendum est, quod omnes tam Fratres quam Sorores, qui vel quæ personaliter ad gremium dictæ reformationis fuerant admissi, quandocumque vocabantur a Domino de hoc præsentis seculo, [reuelatione nouit omnes vbique in suis monasteriis morientes:] in quacumque regione forent, longinqua siue propinqua, semper in suo decessu Reformatrici se manifeste repræsentabant, quamdiu vitam duxit in seculo, nec minus credendum, quod nunc eidem se præsentent in cælo. Quibus tamen quamplurima subsidia pro tunc conferebat pro remedio salutis & alleviatione animarum. Quamobrem & vltius, quod non parum

admirandum, quodcumque pro delatione Religiosarum seu Religiosorum, [necessaria omnia a Deo impetrat:] conuentuum multiplicatione, seu monasteriorum in ædificiis construendis, aliquid facultatis vel proventus necessarij minus suppetebat, vel quouis modo deficere videbatur, quod humana fragilitate adipisci non poterat, Diuina bonitas mirabiliter providebat, mittendo sibi plenarie totam quantitatem pecuniæ, necessariam pro complemento negotij iam intercepti, [etiam pecuniam meliorem alia.] & hoc in auro purissimo pluries, videlicet summam quingentorum aureorum, perfectorum in quantitate, pondere & pulchritudine singulari. Ex quibus & melius consueuerat expedire negotia, quam facere posset ex alia quantitate similiue pecunia humanitus acquisita vel procurata; quamuis etiam foret in quantitate dupla. Et quamdiu denarij præfati diuinitus emissi seorsim a ceteris sequestrati permanebant, in sua conseruabantur pulchritudine nec non & bonitate: cum vero aliis iungebantur seu permiscebantur, tunc illis per omnia similes effecti sunt.

Annotata

Educta fuit a memorato Henrico de Balma Confessario extria regnum Franciæ ad castrum Balmam, & recepta in ædibus Alard de la Roche fratris dicti Henrici, cuius filia Odilia institutum S. Coletæ assumpsit. Ita Iacobus Foderetus & ex eo Abbauillæus.

Gebennæ seu Gebenna istius æui scriptoribus est, quæ antiquis Geneua, vrbs orbi nota ad lacum Lemantum, aliquot antiquorum Regum Burgundionum sedes, proprios etiam Comites quam plurimos habuit, ex vltimis fuit Amedeus IV, qui ex Mathida de Bolonia plures genuit liberos, [Geneuæ sub propriis Comitibus,] in quibus penitus defecit mascula proles tam antiquæ familiæ Gebennensis, vltimus fuit Robertus, qui Petro fratre

absque prole mortuo anno 1392 aut sequente successit, iam tunc Antipapa Clemens VII dictus, quo anno 1394 e vivis sublato, successit ex horum sorore nepos. Imbertus de Villariis, quo iterum anno 1400 vita functo, substitutus Odo de Villariis eius patruus, anno sequente hunc Comitatum Geneuensem vendidit Amadeo VIII Duci Sabaudiaë: [dein sub Sabaudis.] cuius venditionis chartam edidit ante citatus Guichenon pag. 249. at Blancha dicitur tunc Comitissa, id est anno 1407 quod sola forsan ex dicti Amedei liberis superesset. Marcus Vlysiptonensis Comitissam appellat Vesontionensem: sed se postmodum corrigi cap. 28.

Lingua Occitana, quæ passim Languedoc dicitur, quod ibidem annuerent per particulam Os, vt Franci per Ouy. [Lingua Occitana] Separatur autem a Francia, quod huic tantum sub S. Ludouico & posterioribus Regibus esset adiuncta.

Erant viuentis S. Coleta mulierum conuentus 18, supra a nobis enumerati.

[cordula.] Cordula, quasi parua cordæ, ex voce chorda. vnde & Religiosi Ordinis S. Francisci Cordularij variis in locis appellantur.

CAPVT VIII.

De sua cordiali dilectione Sanctissimæ paupertatis.

[47] Præ ceteris virtutibus, quas Altissimi Dei filius Dominus noster Iesus Christus de secreto mysterio suæ benedictissimæ Deitatis in hâc contulit vallem miseræ, machinæ scilicet mundialis, [Paupertati ad imitationem Christi] elegisse tam verbo quam facto cognoscitur amorem & obseruantiam altissimæ paupertatis: de paupere Matre nasci, pauperes discipulos eligere voluit;

exordium sermonis in præsentia cunctorum assumere decreuit, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, & in eadem, [Mar. 3. 5 & S. Francisci] tamquam fundamento primo totius perfectionis, Pater noster gloriosissimus S. Franciscus fundare primum & secundum Ordines, quos Apostolicos & Euangelicos nominamus, ratione conformitatis, quam gerunt ad vitam Saluatoris & sanctorum Apostolorum, omnino decreuit: & in hoc differunt a ceteris Ordinibus per quamdam supereminentiam singularis & virtuosæ strictissimæ paupertatis. Hanc siquidem paupertatem sanctissimam, [amplexa stricte obseruat,] velut apicem religiositatis, Virgo prudentissima Coleta prædilexit semper, & a principio vsque ad finem stricte seruauit. Pro qua patrem matremque derelinquens, facultatibus cunctis plene pauperibus distributis, numquam post eius vocationem ad Euangelica consilia, [contenta simplici tunicula & palliolo] vsque ad vltimum vitæ terminum, nec pro qualicumque frigiditatis algore, pro tegumento sui corporis habere voluit, nisi præcise quemdam habitum pauperem & repetiatum, & vnicam tunicellam simplicem, nec duplicatam, simplicique mantello contenta. Nec dictum habitum deferebat vnquam integraliter nouum, sed in parte vel in totum de veteri panno consutum, [e vetere panno:] & pluries ab aliis delatum, & ex parte consumptum vel disruptum. Semel autem contigit propter excessiuam frigiditatem temporis, quod Sorores pietate permotæ, tunicellæ suæ manicas, ipsa penitus ignorante, duplicarunt. Quo percepto, post primam resumptionem tunicellæ prædictæ, factum abhorruit, tunicellam deponens, ampliusque recusans illam assumere, donec illa duplicatura fuit penitus abscissa.

[48] Calceamentis autem nullo tempore, siue hyemis siue æstatis, [nudis pedibus incedit:] nec qualicumque loco, intus vel extra, sana neque infirma, vtebatur: sed semper & vbique nudis pedibus incedebat, &, quod mirabilius

videbatur, numquam ad ignem se applicabat pro quacumque frigoris asperitate, [ad ignem non venit:] neque videre ignem seu sentire poterat, excepta candela. Velis & capitegiis utebatur humilibus, simplicibus & pauperibus, plus gaudens, præ ceteris in magis repetiatis. [dormit in stramine,] Modico stramine pro lecto utebatur, desuper quodam simplici coopertorio cooperto, cum sacco paleis pleno pro suo cervicali. Iste præcise lectisternii uti solebat: quamvis tamen ibidem nihil vel modicum quiescere videretur. Qualicumque vero necessitate seu gravi infirmitate molestaretur, seu incessanter vexaretur; numquam uti voluit lecto, nec pulvinari de pluma: quin potius in vltima decumbens infirmitate, [moribunda recusat pulvinar e plumis:] qua Deo spiritum reddidit, pro subleuamine laboris importabilis, quo vehementius angebatur, appositum fuit capiti suo quoddam pulvinar paruulum de pluma: quæ, quamvis oculos totaliter clausos haberet, præsensit in spiritu: signo patenter innuens, quod inde amoueretur.

[49] Oratoria vero, quibus per diem communiter utebatur, Missas auditura & sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum receptura, [amat oratoria submissa,] volebat esse parua, pauperrima, strictissima & submissa, quæ si aliter se haberent, numquam erat ibi consolata. In pluribus autem conventibus oratoria iam prædicta sic constructa fuerant, quod vix se poterat in eis erigere seu eleuare, magisque videbantur turtegetes vel tuguria altilium vel anserum, quam habitationes rationabilium personarum, in quibus libentius morabatur, & consolationibus amplioribus iucundabatur. Et iuxta conscientiæ propriæ sentimentum constructura grandis ædificiorum & copiosa sibi multum displicebat: [& paupercola ædificia & loca:] de paruitate enim nusquam fuit conquesta, quin potius iudicaret talem esse nimis pulchram & solennem. Et dicebat exhortando, quod adinstar benignissimi Saluatoris, qui non habuit vbi caput

reclinaret, Sorores deberent contentari pauperulis & simplicibus habitaculis pro necessitate tantum, curiositate qualibet abiecta: libentiusque manebat in parvis conuentibus, & in parvis villis siue locis, quam in magnis, amplis & spatiosis. In itinere constituta non libenter hospitabatur in alta vel spatiosa camera, sed magis ibidem perterrita vel timida, vix audebat oculos in altum leuare. Applicans autem ad conuentum aliquem nouiter constructum, si quid ibidem conspiceret contrarium paupertati, non poterat pati nec sustinere, nisi omnino destrueretur.

[50] Dominus Deus ab infantia contulerat ancillæ suæ virtutem nobilissimam miserationis & liberalitatis erga pauperes indigentes, [misericors erga pauperes,] quæ secum crescens ab infantia durauit vsque ad mortem. Nam in ætate iuuenili scholas frequentans, [in domo parentum solita iis dare ientaculum suum,] quæ sibi pro ientaculo præsentabantur a parentibus, libere ceteris paruulis distribuebat. Similiter faciens de rebus mandibilibus in domo secrete repertis, communicauit pauperibus & egentibus, in quantum fieri poterat sine reprehensione. Distributis vero facultatibus sibi competentibus, [aliosue cibos:] & iure paterno vel materno satis amplis & fertilibus, numquam exinde quidquam retinerere voluit per se, nec pro vsu proprio, nisi tantum necessaria pro stricto cooperimento, [in monæsteriis de suo aliis necessaria procurat:] vel pro diuino Officio deuote recitando. Si quando vero Fratres aut Sorores conspiceret necessitatem patientes de aliquo bono sibi collato, multum caritatiue concedebat illud eisdem, siue foret habitus siue tunica vel mantellus, aut breuiarium, aut collectarium, & sic de similibus, intantum quod sæpe manicas habitus sui dissuebat, & indigenti porrigebat, & aliquando de panno, differenti satis a tunica vel habitu, resuendo vel reuniendo, sicque districtæ necessitati providebat: diligenter satagens

præsens esse, cum scinderetur habitus tunicæ vel mantelli Fratrum vel Sororum, tum amore caritatis, [in vestibus aliorum studet & caritati & paupertati:] qua desiderabat eisdem provideri, tum zelo paupertatis, quam formidabat longitudine vel latitudine dictarum vestium aliquatenus laedi. Paruas autem petiolas panni, quæ remanebant, instanter colligebat vel recolligi faciebat, in necessitatibus occurrentibus implicandas: de quibus habitum suum repetiabat, sic quod interdum fere centum de talibus petiolis apparebant in eodem: sicut patuit in illo habitu, quem in ultimo decessu deferebat.

[51] Et cum super omnia desideraret, & placabiliter acceptaret habere libros necessarios pro servitio diuino, propter quod in diversis regionibus eos perquiri faciebat, [libros pro Officio diuino suis conquirat:] & deposcebat ad cultum diuinum perfectius adimplendum: verumtamen cum ad manus eius peruenerunt, pro vsu suo proprio personali, quod multoties accidebat ex parte potentum Dominorum & aliarum notabilium personarum, [sibi datos aliis communicat:] tales libros etiam valde necessarios liberaliter communicabat, & plene condonabat: & exinde compellebatur necessario mutuo recipere aliunde, pro servitio diuino persoluendo. Quod contigisse probatum est in extremo termino vitæ suæ. Plures etiam personæ notabiles statuum diuersorum, attentis magnis & arduis negotiis eiusdem, pro Dei reuerentia saluteque suarum animarum, pro conuentibus ædificandis, plurima conferebant secundum maius & minus, [nihil sibi de eleemosynis reseruat:] iuxta facultatem maiorem & minorem: alij aurum, alij argentum, alij pannos vel iocalia, & ijs similia: de quibus numquam pro persona sua retinuit, vsque ad valorem acus, siue magnæ quantitatis fuerint donaria siue paruæ: maluisset enim mori, quam eleemosynas pro Deo gratis concessas aliter implicari seu dispensari permisisset, quam in hoc pro quo fuerant collatæ. Quæ vero concessæ fuerant in fauorem suæ

propriæ personæ, exponebat venditioni, conuertens omnia generaliter in reparationem & ornatum Ecclesiæ sanctæ Dei, vt perfecta sanctissimæ paupertatis amatrix nihil sibi retinens. Huius enim pretiosissimæ margaritæ, adinstar S. Francisci, magis cupida fuit, quam aliquis homo mundi extiterit diuitiarum.

[52] Et aliquando cunctis expositis, nihiloque sibi retento, Altissimus illi compatiens, piusque prouisor pro tunc Electæ suæ pecunias transmisit suæ necessitati condecetes, summam videlicet, [pecuniam mira Dei prouidentia accipit:] vt præactum est, quingentorum scutorum auri pretiosi, & optimi valoris, ponderisque sufficientissimi, quam summam iuxta se reperire consueuerat regrediens ab oratione, & illam diligenter & stricte custodiens, [non nisi iuste expendit:] cauebat omnino, quod nisi iustis & legitimis negotijs expenderentur. Etsi de ceteris antedictis bonis nihil sibi penitus appropriare volebat, nec eo amplius de talibus aliquid sumere pro se quouis modo, quantumlibet etiam minimum, præsumebat; sed tamquam nihil habens, hoc ipsum nihil habere pro magno dominio reputans ac digna potestate, nihilque præterquam commissionem, fatigationem, dispensationem, solitudinem, & conseruandi pœnam vel administrandi, secundum quod in ea Spiritus sanctus dictabat, sibi adscribere voluit. Nec vnquam in extrema paupertate & penuria constituta, in aliquo diffisa est de diuina bonitate, quæ prouideret sibi & suis abunde de necessarijs, & hoc, [in necessitate fidit Deo:] si fideliter obseruarent vota suæ sanctæ Professionis, quod pluries accidit experientia certa firmatum & probatum.

[53] Euenit semel in partibus Occitanis multitudinem non modicam gentium armorum, ibidem grauamina & discrimina vltra modum enormiter inferentium aduentasse, sic quod nullus egredi poterat vel audebat

forestas, villas, ciuitates, vel castra. Propter quod Fratres administratores pauperum Sororum Ordinis S. Claræ in conuentibus ibidem situatis, [militibus circum conuentum grassantibus cælitus panes adferuntur:] quamuis indigerent summe necessarijs pro sustentatione vitæ communis vtrorumque, terrore prædictarum gentium accedere non poterant nec audebant pro petendis eleëmosynis. Confidebant tamen vtrique tam Fratres quam Sorores, iuxta doctrinam Christi ancillæ, de diuina misericordia nusquam defutura statum suum & votum plene pro posse suum obseruantibus, quæ quidem tunc doctrina desuper meruit verificari. Nam confestim venit vir albis indutus, omnibus ignotus, portans saccum panibus pulcherrimis & albissimis omnino repletum, qui boni mirabiliter erant & sapidi: de quibus sufficienter prouisum est toti conuentui, donec suprema miseratio remedium aliud adiecit opportunum. Et sicut de viro præfato nesciebatur vnde venerat, sic neque sciri poterat, neque scitum est, quo abscessit; nam statim euanuit ab oculis eorum.

[54] Alio quoque tempore, ancilla Christi moram trahente in territorio Niuernensi, tanta ibidem vigeat grani seu bladi penuria, quod, cum secum haberet Sorores ad sufficientiam pro duorum conuentuum prouisione, præ nimia multitudine personarum in illo conuentu tam intus quam extra residentium, tantæ necessitati subiectæ fuerunt, [in annonæ caritate,] quod farina pro earum necessitate & sustentatione consumpta penitus, compulsæ sunt panem facere de rudi materia penitus impertinente, sed & indecente comestioni cuiusuis personæ seu creaturæ rationalis, [panis e vili materia optime sapit.] puta de furfure: de quibus panibus omnes relectæ consolabiliter & cum dulcore & sapore fuerunt, intantum quod plus quam de pane triticeo se nouerant plene relectas. Et vltius quædam Religiosæ colligebant grana bladi, quæ ceciderant sub arcis seu scrinijs, in

mundando legumina & olera vel alias sparsa, de quibus, vt poterant, escas componere solebant. Quibus mixtis cum aqua & modico salis, exinde coctis, utebantur pro cibo simul & pitantia, cum grandi stupore mirantes, quia tantum in ijs saporem & consolatoriam refectionem ceperunt vt viderentur numquam similem vel maiorem in quibuscumque cibis, etiam laute paratis & exquisitis, gustus dulcedinem reperire. Et quod plus est quædam ex illis in mundo valde deliciose nutritæ firmiter asserebant, se numquam in seculo sapidius epulum seu dulcius degustasse.

[55] Vice quadam dispensatrix conuentus, nomine Soror Ioanna Rabardela, pro quibusdam indigentibus accesserat quæsitum aliquantulum de vino. Qua dictum vinum hauriente, contigit Matrem Coletam dictam dispensatricem sono campanellæ festinanter ad se vocare. Ipsa vero dispensatrix audito sonitu festina cucurrit, clausorium vasis aut spinam ex obliuione secum in manibus deferendo: quapropter vinum totum effusum est per pauimentum domus. Quæ quidem dum Matrem allocuta est, dictum clausorium in manu sua cernens, mox stupefacta ad cellarium cucurrit, dolium quoque illud vnicum totum euacuatum reperit & effusum. Qua de re non parum tristis, corde desolato Matrem adiit, culpamque suam humiliter recognouit. Cuius dum cordialem Christi ancilla cerneret dolorem, eam pie quietans ait: Vade secure, ne dubites, Filia, hauri mihi vinum. Qua respondente, quia nihil de vino remanserat; iterum replicando dixit: Vade in nomine Iesu Christi: vade confidenter. Quæ statim obediens, [Vas, e quo omne vinum effluerat, diuinitus repletur.] vas plenum & supereffluens vino adinuenit. Mirabile vtique, quia tam optimum & perfectum erat, quod iuxta bibentium dictum omne aliud bonum vinum, quod vnquam biberunt, gustu excedebat.

[56] Pariformiter ad maiorem euidentiam & securitatem Prouidentiaē Diuinæ, numquam deficientis fideliter sua vota seruantibus; vice quadam humilis ancilla prædicta facere disposuerat scindi pro Fratre quodam nouum habitum, quo satis indigebat. Et ad hoc vocauit alium Fratrem Andream in arte sartoria expertum, pannum illi præsentans, quem arbitrabatur posse sufficere pro habitu complendo. Qui Frater sartor, quantitate panni considerata, reperit pannum nullatenus posse sufficere pro tali habitu, etiamsi superadderetur adhuc vlna completa. [panni defectus ad habitum conficiendum, diuinitus suppletur.] Reuersus igitur ad paruam ancillam Domini nostri Iesu Christi, demonstrare cœpit euidenter illius panni districturam, & impossibilitatem efficiendi talem habitum, qualem ipsa poscebat. Quæ tunc quasi subridens; confidenter respondit: Vade Frater, & ora Deum: & postmodum reueni: tu trahes ex vno latere pannum, ego autem ex alio latere, prouidendo si poterit elongari. Reuenit Frater, scinditur pannus in præsentia Matris, cuius meritis cooperante Domino, nedum suffecit, sed superabundauit panni quantitas habitu completo, non solum iuxta mensuram congruam, sed excedentem, sic quod necesse fuit illum habitum rescindere, propter excessum longitudinis & latitudinis, vltra morem debitum & communem, in quo disconueniebat sanctæ paupertati.

Annotata

[Petia & repetiare.] Repetiatum Gallice rapiece a vocabulo piece, quo pars ab toto diuisa intelligitur, hinc infra num. 101 petia, & num. 50 parua petiola pro parte simili abscissa, & petiare & repetiare, quando expluribus coniungitur partibus.

Tunicella hic pro tunicula sumitur. Vtitur Episcopus in solenni sacrificio tunicella & dalmatica, [Tunicella.] vocatur & tunicella, dalmatica minor Subdiaconi.

Mantellus pro palliolo sumitur. Arnobius aduersus Gentes lib. 2 mantele dixit, [Mantellus.] & apud Matthæum Parisium Richardus I Rex Angliæ indutus mantea dicitur. Catholicon Togilla, parua toga: Togilla mantile. Belgis & Anglis Mantel, Gallis Manteau.

[Capitegium.] Capitegium, passim Caputium dicitur, quod caput tegat.

Turtegetes: Ultraiect. Curtegetes, an quasi turrium, [Turtegetes.] seu curtium tegetes, seu storeæ, siue vt explicatur, tuguria auium in turribus & curtibus habitantium?

Collectarium, ex quo orationes, quæ Collectæ dicuntur, solebant recitari. [Collectarum.]

localia, monilia & gemmæ. Ita Pius IV Papa edidit Bullam contra detinentes iocalia, [localia.] & postea dicuntur pretiosa iocalia ablata.

Foresta & forestis pro silua; & Forestarij, qui præerant, legitur 1 Februarij in diplomatis S. Sigeberti & Childerici Regum pag. 235. [Foresta.] Forestum legitur in Legibus Longobardicis & alibi.

[Decesia] Scilicet in conuentu extracto Decesiæ ad confluentias Aroui & Ligeris a Philippa Artesia, vidua Philippi Comitis Niuernensis anno 1419 extracto. Apud Surium legitur perperam in territorio Murnensi.

[Bladum.] Bladum pro frumento accipi sæpius monuimus.

[Pitantia.] Pitantia, obsoniam, aut quælibet aduentitia paniesca. Ita etiam iam Cæsarius lib. 8 Miraculorum cap. 11, agens de pisce ab Abbate misso ait, omnes pitantias appositas recusatas. Gallice Pitance dicitur.

CAPVT IX.

De sua perfecta castitate & pura Virginitate.

[57] Castitas est virtus amicabilis, plena gaudio, reddens animam Deo proximam, amica sanctitatis, & subsidium caritatis, sine qua dona gratiarum, siue sapientiæ siue scientiæ, prophetiæ vel eloquentiæ, nec gratia sanitarum aut faciendi miracula, parum prosunt. Nam, vt ait Gregorius: Bonum opus nihil est sine castitate. Qua decenter ornata non mediocriter extitit, mente pariter & corpore vernans & splendida, dulcis ancilla Christi per totum temporis spatium, quo vixit in humanis. [Castissima vixit custodia sensuum exteriorum & interiorum:] Hæc enim fugiens & magno ferens odio cuncta genera vitiorum; in speciali tamen abhorrebat & abominabatur carnalia peccata: contra quæ diligentem ponebat custodiam sensibus corporis exterioribus, tamquam ianuas vel fenestras, per quas ingreditur faciliter pestis iniqua mortis: propter quod illos strictissime claudens obserabat, sic quod numquam, a prima cognitione vsque in finem, vllus consensus vanæ delectationis vel carnalis concupiscentiæ animam eius læsit: quin potius ab infantia cor suum ex toto dedicauit amori castitatis & pretioso thesauro virginitatis, sic quod numquam exterius ab aliquo percipi potuit signum alicuius vilis vel turpis cogitationis. Sed nec ab eius ore verbum aliquod exiuit leue vel inhonestum. Nec mirum: nam quidquid abundabat ex corde, totum relucebat munditia & puritatis nitore: & per consequens ab ore non procedebant nisi verba totius honestatis & sanctitatis, cælestis conuersationis & salubris ædificationis. Pro qua puritate siue munditia, semper ab ipsa mentaliter & corporaliter diligenter obseruata & feruenter dilecta & fideliter custodita, [templum Christi & sacrarium Spiritus sancti effecta:] merito dici potest templum dignum Saluatoris Christi Iesu consecrata, nec non sacrarium & complacens habitaculum Spiritus sancti; cum interior puritas

euidenter per exteriorem notaretur. Et si fas esset dicere, post Virginem gloriosissimam Matrem Saluatoris hæc erat vna illarum de purioribus & mundioribus creaturis in sexu fæmineo, compensatis omnibus, quæ possunt reperiri. Corpus namque suum pretiosum, [Virgo e purioribus habita,] sic erat ex pura materia confectum, carens omni macula seu deformitate, pulchrum & clarum exterius toto vitæ suæ decursu, quia virginalis puritas verissime relucebat in illa cum innocentia siue simplicitate puerili. Et quamuis esset prudentissima respectu cunctorum tangentium diuinum honorem & animarum salutem; nihilominus erat simplex & innocens adinstar paruulorum infantium respectu carnalium & mundanorum. [& plane innocens:]

[58] Cuius rei gratia præfatos innocentes & paruulos imitabatur in gratijs & donis virtuosis, quæ sunt puritas & munditia: & quod sunt sine peccato, mutuo se libenter vident, sunt inter se familiares, suntque dubitantes & timidi, non solum creaturarum rationabilium & magnæ quantitatis, sed etiam irrationabilium & modicæ staturæ. Pariformiter ex conformitate, quam gerebat ad dictos paruulos in puritate corporis & munditia mentis, [libenter videns paruulos ob puritatem, quos imitari studet:] libenter eos videbat, seque familiarem ostendebat in dulcibus colloquijs & iocosis. Reddebaturque similis eisdem in formidine pauidoque timore, principaliter in cunctis actibus & arduis negotijs, diuinum præferens timorem, nihil agens penitus spirituale vel temporale sine præuia examinatione, primitus coram Deo, consequenter in corde proprio, finaliter ex consilio multorum in communi reputatione: & quod maius est, in ostensis siue inspiratis a Deo pro maiori securitate consilium & votum multorum requirebat. [nihil temere aggreditur:]

[59] Nec solum timorem debitum exhibebat, respectu grandium & magnorum; sed etiam respectu debilium &

minimorum animalium, [abhorret ab immundis bestiolis:] quæ prætendunt aliquam impuritatem vel immunditiam, vt muscæ, limaces, formicæ, quibus aspectis terrebatur, & abhorrebat valde cum abominatione multa. Respectu vero mundorum, & quæ prætendunt castitatem, [delectatur mundis:] cuiusmodi sunt agniculi, turtures & ijs similes, summe delectabatur, libenter videns, diligens & amplectens: in cuius signum semel allata sibi fuit parua quædam alauda, cui pretextu puritatis & munditiei devote afficiebatur, [maxime alauda,] propter hoc quia a laude Dei dicta, quia garrit laudans Deum: nec non propter victum absque providentia, condecentem Evangelicæ paupertati, summe complacuit, libenter eam videns, & ad conuictum illam acceptans. Quapropter eadem auicula sibi refectiunculam assumenti mirabiliter colludebat, [cum qua aliisque comedit & bibit:] vnguibus illam accipiens, secum comedens & bibens, private, familiariter & securæ, veluti fecisset cum auibus eiusdem speciei: & plures auiculæ similes pulchræ seu placabiles ad suum accesserunt oratorium, dulciter & melodiose garrientes, sumendo familiariter & secure suam refectionem, magis quam fecissent cum similibus eiusdem naturæ. Propter vero dictam convenientiam eius cum præfatis animalibus in puritate & munditia, pro sui vero solamine, plures tales a Deo sibi mittebantur.

[60] [amat agniculum in Missa tempore elevationis genua flectentem:] Semel quidam parvus agniculus præ devotione sibi fuit oblatus & præsentatus, quem tam ex causa munditiei quam significatione agni dulcissimi, carentis macula siue labe peccati, libenter acceptavit. A quo multipliciter extitit consolata, pro tanto quia quotiescumque agniculus ille præsens erat elevationi Corporis pretiosissimi Iesu, nulla prorsus aliena inductus seu permotus industria, genua flectebat humiliter pernarum anteriorum siue tibiarum, vsque post completam dictam Elevationem, qua finita surgebat.

[61] Alio quoque tempore pro sua consolatione, quædam paruula bestia, velut nix albissima, pulchra nimis, imperceptibiliter ad dictam ancillam extitit mirabiliter destinata: quæ nullis similis, & alias penitus inuisa, non continuo, velut agniculus, cum ipsa residebat; sed alternando vices, interdum se illi visibiliter ostendebat vel offerebat, sicut in mane vel vesperi seu similibus horis; interdum vero disparebat. [habet quandam bestiolam sibi familiarem, quæ, cum alij eam tangere vellent, evanescebat.] Erat autem multum placibilis & delectabilis ad videndum: propter quod plures Religiosæ feruenter optabant, eam contrectare seu manu tangere vel tenere, quod nequaquam obtinuerunt, quamvis cucurrerunt post illam. Nam antequam adipiscerentur evanescebat, vel alicubi latitans se ab illis absentabat. Semel accidit Matrem cum filiabus concurrere, a pecorellam præfatam insequendo, vbi præcurrens dicta Mater cum prædicta pecorella, simul evanuit ab oculis earumdem filiarum, penitus ignorantium in quem finem vtraque devenisset. Nulli dubium, quin bestia prælibata præsignaret aliquod secretum diuinum, repræsentatiuum suæ nitidæ puritatis exterioris & interioris, in albedine siue pulchritudine præmonstratis: quem quidem nitorem spirituales Diuina bonitas quadam speciali gratia manifestare voluit, nedum signo visibili dictarum bestiarum, sed magis exteriori corporis redundante nitore, qui sic mirabiliter apparebat, quod pretiosum corpus eius redolentissime fragrabat; odorem suavissimum, velut consitum diuersis floribus, emittendo. Cibus insuper, ab ea pro sustentatione corporis susceptus, pluries exhibat æque mundus & pulcher, sicut fuerat ingressus absque malo odore. Et vltius excellentior gratia nec alias audita, quod ab infirmitate naturali, communi cunctis mulieribus, fuit semper & integre præseruata, nec non a pluribus alijs immunditijs penitus aliena. [immunis a muliebri infirmitate:] Et quamvis aliorum fætores & immunditiæ ipsam propter suam munditiam mirabiliter aggrauarent;

nihilominus tamen propter illum, qui libenter sustinuit fœtores peccatorum nostrorum, dulciter & benigne ferebat tales odores.

[62] Duabus namque specialibus gratijs, attestantibus suæ puritati, præ ceteris noscitur extitisse dotata. Primo in quocumque statu, [e corpore non emittit malum odorem,] videlicet infirmitatis & sanitatis, siue prosperitatis aut aduersitatis, nullus fœtor vel alius malus odor ex corpore suo sentiri potuit ab aliquo, quantumcumque curioso siue fastidioso, aliquatenus emanasse, nec de loco suæ mansionis nec alijs circumstantijs eiusdem: sed potius a sua nitida persona, siue de loco suæ residentia, continue dilatabatur suavissimus & dulcissimus odor, [sed potius suauem:] confortatiuus singulorum applicantium ad illam. Vnde vice quadam ipsi lauanti manus suas ministrabat Soror quædam, nomine Margareta de Belhoue, quæ reseruans ignorante Matre loturam in quodam vasculo, per septennium illa clarissima mundissimaque reperta fuit, in testimonium præfatæ puritatis: de qua lotura dicta conseruatix eiusdem sæpe bibens, [morbos pellit aqua, qua lotæ manus,] inuenit remedia multiplicia contra suas infirmitates, tam spiritales quam corporales, exinde sibi provenire. Similiter quædam Religiosa nouitia grauer patiebatur in stomacho, formidans ne propter hoc impediretur a Professione peroptata. Cuius rei gratia ministrans semel aquam pro manibus lauandis dictæ Matri, pie deuoteque cogitauit aquam illam reseruatam bibere spe salutis adipiscendæ; sicut & fecit, secrete tamen: vnde fuit penitus alleviata, perfecteque sanitati restituta.

[63] Secunda vero gratia non minor priore sibi concessa, in testimonium prætendens suæ mundissimæ puritatis fuisse fertur: nam licet frequentaretur a multimodis gentibus, paruis & magnis, bonis & malis, & eum esset

venerabilis & præclara facie, dulcis aspectu, placabilis & delectabilis ad videndum; verumtamen, sicut nullum alium indecenter concupiuit, sic nec ab aliquo sciri potuit vel audiri, fuisse vitiose vel in malo concupitam: & quod maius est, visitantes eam, prius inflammati damnabiliter igne carnalis concupiscentiæ, [æspectu ad castitatem allicit:] post aspectum suæ mundæ siue nitidæ præsentia, reddebantur frigidi pariter & casti. Ad maiorem vero dictæ puritatis confirmationem & manifestationem, [honorat virginitatis statum & tempora:] virginitatis status & tempora, quibus illæ virtutes manu tenebantur & conseruabantur, speciali reuerentia iudicabat honorari.

[64] Similiter & personas, dictas virtutes vouentes & post votum obseruantes, amore magno censebat amplexandas & honore reuerendas. Qua de re tempus & status veteris Testamenti, [& eos qui castitatem vouerunt:] quibus non viguit exercitium præfatæ virtutis, minus reuerendum existimabat tempore vel statu noui Testamenti, quo Princeps virginitatis cum sua Matre gloriosissima, ac pluribus alijs amicis suis specialissimis, prælibatas virtutes approbavit, exaltauit, honorauit, & multipliciter laudauit. Et consequenter inter ceteros amicorum Christi prædilectum Ioannem Euangelistam, [vti post Christum & Deiparam, potissimum S. Ioannem Euang.] quem prærogatiua virginitatis ampliore dilectione fecerat dignum, deuotione speciali dulcius diligebat, & pro intercessore coram Deo singulariter habere volebat, ad tutiorem custodiam thesauri pretiosi virginitatis in vase fictili corporis humani.

[65] Pro quo quidem thesauro fideliter conseruando suæ primæuæ iuuentutis in exordio cum deliberatione decreuit, [Bullam petit a Papa, vt admittantur ad Ordinem solæ Virgines:] se moram tracturam cum virginibus puris & innocentibus, ad euitanda quæcumque solatia, nedum

turpia vel inhonesta, sed etiam matrimonialia vel coniugalia propter impuritates admixtas. Propter quæ peragenda obtinuit a Domino Papa, de suo desiderio plene certificato, bullam plumbeam, inter cetera continentem prohibitionem, ne videlicet aliqua mulier, cuiuscumque foret status, Religionem Ordinis S. Claræ per ipsam reformandam deberet ingredi, nisi puella seu virgo. Quæ consequenter executioni demandata fuerunt; sic quod nulla vidua, nec alias sinistra fama laborans, aliquatenus recipiebatur nec recipi permittebatur. Et quamvis Deo pro meliori dispensante meritis talium, quod quædam nobiles ac virtuosæ mulieres, quæ prius fuerant matrimonio ligatæ tunc vero relictæ seu viduæ, reciperentur ad dictum Ordinem; numquam tamen eidem sic privatae erant & familiares, sicut illæ quæ virginitate pollebant: nec ad receptionem illarum coniugarum ita prompte & gaudenter se poterat inclinare, sicut ad receptionem virginum siue puellarum.

[66] Et finaliter in attestationem mundissimæ puritatis & excellentissimæ virginitatis, quas eadem gloriosa virgo, nobilis ancilla Christi Coleta decenter ornata præcellenterque decorata, meruit fideliter conservare, velut thesaurum pretiosissimum Deo placitum & delectabilem; dignatus est ipse Deus summe bonus, & incomprehensibilis, & virtutis remunerator liberalissimus, ipsam præmunire dono quodam singularis amoris & inauditæ gratiæ; [desponsando eam sibi] tamquam veram & fidelissimam Sponsam, sibi coniunctam vinculo dilectionis perfectissimæ, votoque virginitatis voluntarie sibi promisso, sæpe, libenter & devotissime, signanter in manu vices gerentis eiusdem in terra, modo qui sequitur admiratione quamplurima digno. Nam missus a Deo dulcissimus ille Ioannes Evangelista sanctissimus Apostolus, [a S. Ioanne Evangelista accipit anulum,] in eadem prærogativa virginitatis conformis, detulit eidem anulum quemdam aureum, ex parte summi Regis, illum

sibi præsentans, & imponens digito tamquam eiusdem Sponsæ, qui Princeps est virginitatis & munditiæ, ipsam puram Virginem sibi computando velut Sponsam inseparabilem & ceteris prædilectam. Quæ annulum humiliter cum grandi timore recepit, diligenter conseruans & reuerenter honorans. Pro cuius digniori custodia disposuit auro munire vel argento: [cui nequit aptari custodia:] sed quem manus aurificum, & argentariorum primitus non confecerant nec fabricatæ fuerant; nullatenus valuerunt communire, nec auri vel argenti metallum per manus eorum ad illud quouis modo potuit applicari. Hunc annulum plures Patres & Fratres, Confessores & aliæ personæ quamplurimæ viderunt oculis, & manibus contrectauerunt, vnde multipliciter consolati permanserunt. Cum Fratres prædictos propter Deum vel propter sua negotia celeriter expedienda mittere decreuerat ad partes remotas per vias discriminosas, [eum concedit suis, vt secure perficiant iter:] pro periculis euitandis confidenter & secrete dictum annulum super se portandum eisdem conferebat, cum quo nullum impedimentum iuxta suam affectionem pati potuerunt, quin libere complerent totum iter inceptum tam in accessu quam regressu.

[67] Insuper propter excellentiam suæ mundissimæ puritatis, sicut magis afficiebatur nouo Testamento quam veteri, propter dictam causam etiam in eodem Testamento maiore ferebatur affectione, & maiore reuerentia vere dilectis & amicis Dei, [potius amat Sanctos, qui castitatem coluerunt:] qui fideliter dictam virtutem manu tenere siue obseruare voluerunt, quam ceteris non obseruatoribus eiusdem: & vltius magis complacebat inter coniugatos in illis, qui fuerant vnico coniugio copulati, quam ijs qui duobus vel pluribus extiterant coniuncti. Et quod plus est, matri propriæ carnali, quæ bigamiam contraxerat, in signum alicuius displicentiæ cum bona simplicitate, quadam vice ita

fertur dixisse. Mater mea mallem vos semel fuisse tantum coniugatam: Cui dulciter sic respondentem, Filia tunc non fuisses in seculo nata, si ego non fuisset secundo maritata

[68] In principio reformationis, de qua sæpe dictum est supra, recurrebat in arduis sibi occurrentibus negotijs in suis orationibus deuotis ad Sanctos Dei, singulariter qui virginitatem obseruauerant. Propter quod minus recurrebat vel nihil, pro subsidio postulando, ad S. Annam S. Mariæ genitricem. Propter quod in oratione feruenti coram Deo, semel apparuit ei Anna sanctissima prædicta, [a S. Anna inuisitur:] Et in hac apparitione, dicta gloriosa uidelicet Anna sanctissima, manifestauit ei, quod quamuis extiterit matrimonio copulata, nihilominus tamen uniuersalis Ecclesia, militans & triumphans, per suam insignem progeniem adornata fuit, & celebriter honorata. De qua quidem manifestatione fuit ancilla Christi dulcissima mirabiliter consolata, se reputans indicibiliter obligatam prælibatæ uidelicet Annæ gloriosissimæ, Mariæ genitrici, concipiens ad illam deuotionem specialissimam, & humillime supplicans eidem, quatenus ex sua superexcellenti gratia placeret eidem intercedere pro se apud suam dignissimam progeniem, cum omnibus Sanctis, quatenus sibi dignarentur compati suæque pauperculæ familiæ, salubriter ad terminum reformationis a Deo sibi commissæ debitum conducendo: finaliter autem recognoscendo gratanter gratiam specialem, [in honorem eius templum extrui iubet:] qua Domina sanctissima, uidelicet Anna, mater Genitricis Domini Saluatoris se sibi decenter sic ostenderat, in aliquibus de suis monasterijs, deuotione prægrandi fecit in honorem & reuerentiam prænominatæ Sanctæ fundari principaliter Ecclesiam pariter & consecrari. Modo tamen singulari fecisse comprobatur in suo primitiuo conuentu, scilicet Bisuntinensi, per Dominum Summum Pontificem suo regimini collato, cappellam solennem ibidem

construens & consecrans in honorem & reuerentiam eiusdem: in qua tumulati requiescunt quamplures de suis specialibus amicis in Domino Iesu Christo, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Annotata

Italica hæc vox significat ouiculam: eandem Francis quoque usurpatam superiori sæculo fuisse ex hoc loco colligitur. [Pecorella.]

S. Annam non fuisse nisi vni viro S. Ioaquimo nuptam, & solum post longam sterilitatem peperisse immaculatam ab omni labe originali Deiparam Virginem Mariam, [S. Anna.] communis omnium pene auctorum & certissima sententia est, adeoque hæc alia Marica, vt de eius parentela, & matrimonio coniunctæ, videntur simul apparuisse: quæ auctor Vitæ non satis distinxit. Ea latius explicanda ad Vitam S. Annæ 26 Iulij. Hæc genealogia a Marco Vlysiponensi omissa est.

Ex ijs est conuentus Lisinianus, cuius infra num. 205 fit mentio, vocatur S. Annæ, ob templum ibidem ad huius honorem consecratum. Consule Gonzagam de Origine Seraphicæ religionis parte 3 in Prouincia S. Ludouici.

CAPVT X.

De studio sanctæ orationis Deo multum acceptabilis, & creaturis multum utilis.

[69] Testatur S. Augustinus, quod oratio est animæ refugium, bonis Angelis solatium, tormentum inimicis, Deo gratum seruitium, perfectæ religionis gloria, laus integra, spes certa, & sanitas absque corruptione. Idcirco principalis occupatio gloriosæ Matris & humilis ancillæ Dominæ Coletæ per totum eius vitæ spatium maxime versabatur circa Dei laudem & honorificationem feruentem & deuotam orationem. Nam vbicumque foret,

intus vel extra, stans & sedens, [Frequens est in oratione:] ambulans & quiescens, vigilans & dormiens, semper eius meditatio eleuabatur in Deum; mentaliter aut vocaliter orans sine intermissione vel saltem aliquid operans boni, quod communiter dicitur oratio realis.

Inter ceteras gratias eius cordi radicaliter impressas, erat feruens eius desiderium, quod Deo diligenter seruiretur, & idem seruitium humiliter persolueretur cum cordis munditia, timore pariter & digna reuerentia. [alijs eam inculcat,] A quo quidem diuino seruitio nullas volebat eximi Religiosas, quin ante principium eiusdem seruitij vel Officij diuini, conuenirent omnes ad ecclesiam, suas præparaturæ conscientias, quatenus exhibere possint seruitium Altissimo beneplacitum & gratum. [cum digna ad eam præparatione:] Sed si qua foret de prædictis aliquid gerens in corde contra Sororem suam aliquam, priusquam sacrificium sanctæ orationis offerret, volebat eam & mandabat prius reconciliari cum eadem per humilem indulgentiæ postulationem.

[70] Et quamuis esset debilis & grauata nimis propter pœnas, quas Deo permittente continue sustinebat, [interest communibus precibus,] quibus licite poterat a communi seruitio diuino se irreprehensibiliter absentare; nihilominus suum desiderium & beneplacitum erat ibidem interesse die noctuque, prima veniens & vltima recedens, quousque diuina dispensatione compulsa fuit aliter se habere. Et, si Deo permittente subtrahebatur a pœnis illis importabilibus, [etiam cum magnis corporis doloribus:] statim gaudenter & prompte festinabat ad dictum commune seruitium, acsi numquam talibus pœnis grauissimis fuisset afflicta. Pluries [cum] accessura [esset] ad Officium matutinale per prius a Religiosis siue Sororibus videbatur in sedili, quo residere consueuerat, expectans quidam pulcher & placidus agniculus. [ab agniculo adiuuatur:] Et specialiter corde, corpore,

totisque viribus satagebat, eidem humiliter & alacriter offerre officium acceptabile, vocem exaltantem cum cordis iubilo, sic quod super ceteras voces resonans dulciter & mirabiliter audiebatur. [auditur ad leucam vsque:] Et mirum certe fuit, quod in principio reformationis ipsa cum ceteris diuinum Officium persoluens, refertur audita fuisse speciali gratia diuina per spatium vnus magnæ leucæ.

[71] In eodem quoque tempore, non parum perplexa fuit de modo absoluendi diuinum dictum Officium in communi, pro tanto quod forma vitæ siue Regula continebat, quod Sorores facerent diuinum Officium sine cantu, legendo: propter quod consulere decreuit Patrem suum Confessorem, Fratrem Henricum de Balma. Quo accersito post plures colloctiones, decreuerunt ambo recurrere simul ad sacrificium orationis. [diuinitus accipit methodum celebrandi diuinum Officium:] Quibus orantibus implorando gratiam cognoscendi modum, quo digne persolvere possent dictum Officium ad Dei laudem & salutem animarum & ædificationem proximorum, audita subito fuit in medio ipsorum duorum vox quædam placabilis & melodiosa, quasi penitus Angelica, proferens modum debitum & congruum ipsis Sororibus condecentem, decentem ad diuinum Officium persoluendum. Quam quidem vocem libenter audientes, & modum diligenter attendentes, iuxta dulcorem illius & protractionem dulcissimam ordinauerunt diuinum Officium a Sororibus esse persoluendum.

[72] Semel accidit in conuentu, quo moram trahebat propter pestem grauissimam ibidem vigentem; quod multæ Religiosæ penitus decesserunt; aliæ vero infirmæ diu manserunt. [nullis impedimentis oblatis Officium diuinum intermittit:] Inter quas ipsa gloriosa Mater non modica fuit infirmitate grauata. Verumtamen non propter hoc ab Officio se voluit absentare, nec propter Sororum

paucitatem aliquid ab eodem Officio deminuere: quin imo cum duabus vel tribus ipsa præcise omnes Horas Canonicas integre, solenniter, & devote persolvebat. Et verisimiliter videbatur sanctos Angelos de cælis descendisse pro conferendo sibi subsidium, adiutorium & solamen in augmentum deuotionis & admirationis cunctorum audientium. Et quod mirabilius est, numquam prædicta Mater gloriosa diuinum persoluens Officium, concepit aliquod tædium vel laborem. Et quando plus longum erat vel prolixum, [in oratione numquam patitur tædium:] tunc magis complacebat: & si foret interdum prius aliquatenus desolata, tunc statim inchoato Officio confortabatur & reddebatur pacata, psallens in feruore spiritus dulciter, ac si semper videret præsentialiter faciem summi Regis. Et tunc apparebat communiter facie speciosa rutilans, clareque resplendens, sic quod sæpius obfuscabat intuentium Sororum oculos, [facie splendente apparet:] ne præ claritate nimia in faciem eius intendere possent. Cum vero pœnis excessiuis, frequenter illam molestantibus, interdum impediretur a frequentatione diuini Officij, pie suspirans, dulciter exclamabat dicens: Heu me, quam beatæ sunt, quæ valent indesinenter præsentibus esse diuinis laudibus, plus condolens de absentatione prædicta, quam de pœnis & laboribus & molestijs exinde toleratis.

[73] Cum itaque semel in visitatione cuiusdam conuentus reperisset vnam Religiosam, quæ graui infirmitate prægrauata, per spatium annorum octo se penitus absentauerat ab Officio diuino, propterea quod propter dictam infirmitatem deficiente voce, in dicto Officio nihil dicere aut facere valebat, quamuis non parum ex hoc affligeretur & desolaretur: eam vocatam dulciter ancilla Domini sic alloquebatur: Quare, Filia dulcissima, tamdiu sic absentatis ab Officio diuino? Cui petitioni respondens illa, totum impedimentum interposuit in excusationem, videlicet impossibilitatem aliquid ibidem faciendi vel

dicendi. Cui Mater gloriosa sic adiunxit: [ægram ad Matutinum missam sanat:] Vade in nomine Domini, & sis in Matutinis hac nocte sequenti, & fac ibidem diligenter secundum gratiam a Domino tibi datam siue donandam. Quo facto, Religiosa prædicta vocem reperit aptam & dispositam melius quam vnquam præhabuerat. Tunc ex consequenti æque bene vel melius dictum persoluit Officium, sicut vna de ceteris semper sanis. [recitat quotidie varias preces præter diuinum Officium:] Ipsa vero Mater præter Horas Canonicas & obligatorias, infallibiliter & quotidie recitabat Officium de Pater noster iuxta formam Sororum Laicarum, & Horas de Cruce cum duplicibus Vigilijs mortuorum, quasdam videlicet nouem Lectionum, & alias trium tantum, & hoc pro minori. Signacula de Pater noster habebat carissima, deferens illa secum nocte dieque, recitans de illis absque numero siue mensura. Pluries autem propter pœnas grauissimas vexata, sic quod ignoraret totaliter vbi esset, [oppressa doloribus ex attactu granorum Rosarij sanatur:] contingens eadem signacula de Pater noster reuertebatur ad se, resumens de se cognitionem. Signanter autem inter orationes vocales & mentales singularem gerebat deuotionem ad Psalterium & ad septem Psalmos Pœnitentiales cum Letanijs, & numquam a iuuentute percurrens vsque ad antiquitatem, occupationibus quibuscumque non obstantibus, omisit illa dicere. Cum vero peruenerat ad finem Psalterij, genu flectens humiliter & reuerenter coram Deo præsentabat illud munus exiguum, supplicans instanter, quatenus illud reciperet, vt gratum & acceptum.

[74] Et tunc inter ceteras orationes consueuerat hostis antiquus inferre sibi quamplurima virtutis impedimenta, quando Psalterium recitabat. [inter preces patitur molestias dæmonum:] Nam de nocte proferenti sæpius extinguebat candelam, crucibulum & oleum effundebat. Vice quadam inter alias frequenter extincta lucerna, &

per oppositum per eamdem reincensa pro inchoato Psalterio perficiendo, præfatus hostis intendens suæ perturbationi, præfatum crucibulum oleo plenum euertit, & super codicem, in quo legebatur, penitus effudit: unde non parum molestam eam reddidit, [ab his librum oleo effuso corruptum,] tam pro libri perditione quam pro incompleta oratione. In crastinum vero pie conquesta Patri Confessori suo de desolatione prædicta, librum, quem consumptum & perditum existimabat, illi tradidit, si quouismodo reparari poterat requires. [cælitus reperit integrum:] Quem dictus Pater reperit superna gratia penitus illæsum; unde fuit mirabiliter ipsa consolata.

[75] Altera vice, postquam occupata fuerat ad deuote recitandum dictum Psalterium, duo terribiles & cruenti dæmones in figuris horribilibus apparuerunt sibi, timorem & impedimentum irreferibiliter ingerentes, [dæmones duos signo Crucis fugat:] ne posset oblationem consuetam deuotæ depræcationis Domino præsentare. Quibus visis, signo sanctæ Crucis se secure, confidenter, humiliter & reuerenter muniuit, & obtulit oblationem suam modo consueto: & illi confestim totaliter euauerunt.

[76] In cunctis etiam aduersitatibus & arduis negotijs occurrentibus, ac præcognitis tribulationibus vel afflictionibus superuenientibus, [multum fidit Litanis recitatis in afflictione:] recurrendum esse decernebat ad refugium humilis orationis, dicendo vel dici faciendo per suas Religiosas sanctas Letanias: quibus fidem grandem adhibebat, & singularem gerebat deuotionem. Nam tempore quo per Franciæ regnum tanta vigeant discrimina guerrarum crudelium & mortiferarum, quod nulli vel pauci audebant exire fortalitia vel munitas villas; quamuis dicta Mater esset quamplurimum timida iuxta conditionem & sexum status sui; [per vias hostibus infestas Litanis lectis secure proficiscitur:] nihilominus tamen interceptit & decreuit pro Dei amore simul &

animarum salute progredi per diuersas & longinquas regiones, & in progressu multiplici pro securiori saluo conductu quotidie ante digressum ab Officio, decreuit deuote audire Missam Epiphaniæ Domini. Et statim post inceptum iter inchoabat sanctas Letanias, & consequenter, per Dei gratiam & meritis Sanctorum ibidem inuocatorum, euadebat secure cuncta pericula, quantumcumque terribilia, & vitæ perditione digna sæpius arbitrata, quorum aliqua annectentur.

[77] Exeunte namque gloriosa Matre prædicta cum pluribus suis religiosis Sororibus in quadam extranea regione, cuius idioma penitus ignorabat, & transitum facientibus eisdem per quemdam passum valde periculosum fama dictante factoque probante, [latrones in silua aggredientes,] in quodam nemore superuenerunt illis obuiam feroces homines sagittis muniti, & balistis protensis armati: qui deliberatis animis parauerunt insidias, optantes deprædari sanctissimam illam & simplicem comitiuam. Et quamuis contestaretur eas ex pauperibus de mendicitate uiuentibus pauperulas esse cum hoc tamen propter itineris prolixitatem & viarum asperitatem, fæmineamque debilitatem necesse erat, easdem in curribus circumuehi cum apparentia satis magna. Qui terribiles viri subito uenerunt suæ peruersæ voluntatis malitiam ostendentes, ad omne malum parati, cæperuntque loqui ruditer, [lectis Litanijs,] terribiliter & penitus indecenter. Tunc humilis ancilla Domini nostri Iesu Christi deuote persoluerat sanctas Letanias, [& diuinitus intellecta lingua extranea,] & Apostolico more per Dei gratiam percipiebat idiomata cuncta, atque benigne, dulciter & discrete respondere cœpit eisdem. Qui subito mirabiliter eius audita uoce, mutati sunt a uoluntate crudeli suæ malignitatis in pium amorem, dulcorem, & caritatem, non solum illi parcendo cum comitiua sua de malitia, quam exercere decreuerant, sed etiam offerendo caritatiue saluum & securum conductum, ad quamcumque

partem vel locum voluissent declinare: de qua quidem oblatione referens ipsa prædictis armigeris grates humillimas, [suavi alloquio in melius commutat.] absque violentia quacumque mutuo decesserunt.

[78] Alia siquidem vice cum ipsa personaliter duceret cohortem quamdam humilem Religiosarum ad vnum conuentum seu monasterium nouum constructum, transeundo per quemdam passum siluestrem & extraneum, præsentiens in spiritu periculum aliquod imminere, mandauit Sororibus sanctas Letatianas Deo devote præsentari. Quidam autem vir, nobilis quidem genere, [lectis Litaniis,] sed horribilis corde, suggestione diabolica sanctis eiusdem Matris operibus obex & fortis aduersarius, per aliquos ex suis seruatoribus explorari diu persequendo malitiose præcepit & mandauit. Qui maligni satellites de mandato prædicto dictam Matrem cum eius comitiua fecerunt ibidem arrestari, [euitat castitati insidiantes, eorum equis immotis redditis:] donec præfatus nobilis cum eiusdem complicitibus ad locum illum peruenisset. Qui tandem applicans festinanter ad eundem locum, manifestauit exterius cordis sui malitiam, proferendo verba carnalia & penitus inhonesta. Quibus verbis indecentibus postquam ipsa humiliter & decenter respondit; equi prædictorum malignorum satellitum permanserunt immobiles, ad currum nullatenus appropinquare valentes, acsi ligati forent pedibus ad terram, quamuis ad retrocedendum leues essent & ad currendum apti.

[79] Altera quidem vice Matre gloriosa prælibata reuertente de collocando Religiosas in nonnullis conuentibus nouiter constructis, ipsa arbitrante cum suis per viam progredi securiorem pro periculis & discriminibus huiusmodi plenius euitandis, accidit, vt inter peiores & crudeliores multo in numero deueniret, saltem ita prope, quod faciliter currum, quo vehebatur, inspicere

possent: [alios prædones videns,] qui mente deliberauerant ipsam penitus deprædari. Propter quod aliqui de peioribus ipsorum a ceteris discesserunt, pro dictæ malitiæ complemento citius assequendo ad ipsam accedentes. Quæ confestim hæc percipiens in spiritu, Deo se recommendavit, [inchoat Litanias,] Letaniis inchoatis festinanter. Quo facto maligni pugiles tanto fuerunt terrore concussi, quod velut ab aduersariis vehementissime fugati retrocesserunt, [eosque fugat:] aciei ceterorum se libenter adiungentes, numquam ad eam de cetero reuersuri.

[80] Vtius a simili cum semel pro certis necessitatibus accederet visitatum aliquos de suis conuentibus, essetque compulsa transire vel fines vel extremitates patriarum diuersarum, in quibus multitudo numerosa, terribilis & fortis armigerorum castrametabatur; in mente recognoscens sibi cum suis perturbationem affuturam, [iterum lectis Litanis,] se Deo recommendans, recitari mandauit dictas Letanias. Et paulo post obuiauit terribilioribus & magis peruersis hominibus de prædictis, qui nimis procaciter loquebantur eidem cum suis Fratibus & familiaribus, comminantes aliquos se interfecturos, aliis auriculas abscissuros, ab aliis equos vel alia deprædaturos. Quibus auditis, humilis ancilla Christi plene confidens de Diuina misericordia meritisque Sanctorum, quæ quasi pia, dulcis, & caritatiua malebat mori quam Fratres suos & familiares discrimen aliquod vituperabile pati (adinstar Saluatoris Domini dicentis persecutoribus suis: [præmissis aliis,] Si me quæritis, sinite hos abire) ipsa fecit omnes præcedere Fratres & familiares, [se solum morti exponens,] & remansit cum Sororibus, parata mori sola pro omnibus. [Io. 18, 8.] Et tunc Deus eam mirabiliter conseruauit, conferens ei tantum vigorem & audaciam in corde suo, quod nihil dubitabat affuturum; & tam feruentem eloquentiam in ore, [corripitur,] quod nullum malum neque vituperium

intulerant sibi neque Sororibus suis Religiosis: sed tandem veniam postulantes, equos & alia penitus ablata restituerunt. Quamvis Dominus, qui vindex illorum est, qui persequuntur suos fideles amicos, talem inde vindictam recepit, quod infra terminum octo dierum, pro aliis demeritis seu flagitiis perpetratis, fuerant in patibulo suspensi, publice confitentes & recognoscentes, quod de quibusdam malis commissis nullum sic grauabat conscientias ipsorum, [prædonibus paullo post suspensit:] nec tantum displicebat eisdem, sicut perturbatio, quam fecerant ancillæ Christi Iesu, arbitantes insuper illam præcise fore caussam, propter quam Iudex supremus voluit eos tali morte puniri.

[81] Adhuc super eadem materia non est prætermittendum, quod tempore magni dissidij siue guerræ regni Franciæ, ipsa moram trahebat in conuentu Sororum in quadam parua villa, quæ multum grauabatur occasione prædicta, semper in periculo captionis & destructionis, nisi Deus meritis ancillæ suæ remedium apposuisset. Nam pluries viri bellicosi in manu valida secrete venerunt, [iterum legens Litanias conseruat locum a deprædatione:] pacto firmato capiendi caute siue dolose dictam villulam: sed statim ipsa præsentiebat in spiritu factum propositum vel accessum prædictum, & incontinenti stans Letanias inchoabat vel inchoari faciebat. Quibus inceptis, prædicti malefici, tamquam maiorem fortitudinem gentium oppositarum sibi vel aduersantium arbitantes contra venire pro resistentia facienda, festinanter redibant, & sic prædicta villa suis sanctis meritis extitit præseruata. Cuius rei gratia memoria communisque fama perseuerat ibidem, quod prosperitas & conseruatio præfatae villæ ab eiusdem meritis procedit & perdurat. Nam, sicut dictum est, oratione finita vocali, subsequebatur mentalis, & sic orando semper complacebat & consolabatur, asserens quod absque oratione nemo proficere potest, & sic

exhortabatur Sorores se semper occupare in sacrificio sanctæ orationis.

[82] In prædictis autem orationibus mentalibus, quibus frequenter occupabatur, omnes curas siue solitudines inutiles extra se repellebat, omnesque vires sensuales ac corporeas, & virtutes naturales recolligebat, [vires omnes colligit ante orationem:] exponens illas ad perfecte cogitandum de Deo, nec non ad feruenter orandum cum affectione vehementissima, sic quod tota rapiebatur & eleuabatur in illum, nihil sentiens nec percipiens corporaliter, [in extasim rapitur] velut pura mortua, de cunctis exterioribus, quae circa se tunc agebantur. [per plures horas,] Et interdum in tali statu permanebat per sex horarum spatium, aliquando per decem vel duodecim, nihil sentiens de forensibus, vt dictum est: sed tandem ad se reuersa, se paruo spatio credebat vel arbitrabatur ibidem fuisse; [aut integrum diem:] licet reperta fuerit aliquoties in tali raptu perdurasse per vnam totam diem, sæpissime pro maiori parte noctis: & sic mentaliter orabat, nec dormiebat somno corporali, nisi valde parum, sic quod aliquoties in octo diebus vix dormiebat per vnicam horam. Nam Psalterio vocaliter recitato cum canonicis Horis, residuum temporis siue intus siue foris occupabatur in oratione mentali. Veniens ad hospitium de via, ceteris requiescentibus, [parum dormit,] pro recreatione corporali vigilabat plorans & gemens, & Deum feruenter exorans absque dormitione.

[83] Quantæ vero virtutis & efficaciae feruentes & cælos penetrantes extiterint orationes prædictæ ancillæ, [etiam inter proficiscendum:] placuit Altissimo per specialem gratiam quibusdam ex Sororibus suis ostendere mirabilibus & evidentibus signis. Nam videbatur eisdem, [ea orante visa ex ore procedere ignea fax vsque ad cælum,] quod realiter viderent quamdam facem igneam, ex eius ore procedentem, lucidam & resplendentem, sic in

altum adscendentem, quod cælos tangere videbatur. In signum quod orationes præfatæ, tamquam acceptatione dignissimæ, peruenire merebantur ante conspectum Diuinæ maiestatis. Et interdum apparebat eisdem, quod tempore suæ feruentissimæ deprecationis eius oratorium velut igne succensum penitus arderet: & si quis approximaret ad extinguendum ignem illum subito apparentem, [oratorium conflagrare:] subito disperebat. Semel tamen est repertum velum eius combustum, cum tamen ibi nullus ignis adfuisset. [velum combustum reperitur:] Quædam similiter ex Religiosis prædictis, quadam vice per inaduertentiam intrauit locum oratorij, cum ipsa feruenter oraret coram Domino, subitoque vidit illam tanta pulchritudine tantoque splendore nitescentem, [corpus resplendet:] quod statim cecidit in terram, velut exanimis effecta. Quam ancilla Christi videns in tanta necessitate, peruenit ad illam, de accessu reprehendens eam, postmodum dulciter confortans ipsam, etiam vires resumpsit. Quædam etiam Religiosa, dicta Soror Coleta de Plano-Cubito, vidit semel, existente matre in orationis feruore, quemdam solem magnum & resplendentem, [ex ore sol procedere conspicitur:] oratorium totum illustrantem, ab eius ore procedentem. Et insuper cum elevatione cordis & spiritus in eius feruentissimis orationibus ad Deum, pluries visa fuit a prædictis Religiosis corporaliter eleuata sic in altum in aëra, [eleuatur orans in aëra:] quod ipsarum penitus frustrabatur intuitus, ab earum oculis evanescens: vnde pro certis caussis extitit a Deo compulsa reuelare, quod sic etiam in arbitrio proprio fuerit pluries in dictis orationibus eleuata, quod sibi videbatur, si protendisset brachia, valuisset manibus tangere cælum.

[84] Inter ceteras vero requestas & supplicationes, quas Deo faciebat, [fundit preces pro peccatoribus,] principaliter exorabat pro pauperibus, peccatoribus & delinquentibus, vt conuerterentur. Et similiter inter plures

reuelationes, quas Deus per suam piissimam gratiam patefacere dignatus est egregio Doctori, præcellentique tam verbo quam facto ex Ordine Prædicatorum Magistro, Vincentio recolendæ memoriæ, fuit notitia prænominatæ Matris: quam vidit in spiritu genu flectentem humiliter in conspectu supremæ maiestatis & Diuinæ bonitatis, [a Deo reuelatas S. Vincentio Ferrarriensi:] supplicando feruenter & deuote pro peccatis & defectibus suæ pauperrimæ plebis. Cui misericors Pater respondere videbatur: Filia quid vis me facere? Nam dietim ab illis iniurias & vituperia patior, & sustinere ab illis non cesso. Quotidie me laniant, & indesinenter lacerant minutatim, velut carnes in macello, me blasphemantes & abnegantes meaque præcepta transgredientes. Et propter istam visionem & præclaram ostensionem, quam Deus præfato Doctori voluit intimare, [ab hoc inuisitur:] se transtulit de partibus Aragonum ad regionem Gallicanam, & signanter ad Ducatum Burgundiæ, pro personaliter ipsam visitando. In qua quidem visitatione mutuas habuerunt inter se colloctiones vtilis, & receperunt a diuina bonitate plures spirituales consolationes. Alio quidem tempore Matri prædictæ feruenter deprecanti Virginem gloriosissimam Matrem Domini Salvatoris, [rogans Deiparam Virginem,] quatenus intercedere dignaretur apud suum carissimum filium, vt ipse misericorditer parceret suo populo pauperrimo; præsentatus ibidem sibi fuit quidam discus, paruis petijs carniū, [in visione carniū scissarum,] quasi forent vnus infantis paruuli, repletus, cum responsione per modum, qui sequitur: Quomodo requiram ego filium carissimum pro talibus, qui quotidie per offensas, [agnoscit peccatis ita scindi carnem Christi:] iniurias & horrenda peccata commissa, quantum in ipsis est, ipsum minutius dilaniant, quam hæ carnes, quas in hoc vasculo conspicias, fuerant dilaniatæ: propter quod longo tempore pertulit in corde suo grandem tristitiam & dolorem.

[85] [post Officium diuinum curat dici Commemorationes] Inter Suffragia & Commemorationes, quas præ deuotione singulariter agebat, hæ erant: scilicet de Passione Domini Saluatoris, de Annuntiatione eiusdem, & de omnibus Sanctis. Vnde sine defectu quotidie post Officium diuinum dicebat, & dici faciebat per omnes conuentus pro Commemoratione dictæ Passionis Antiphonam: [de Passione Christi, Annuntiatione,] Christus factus est pro nobis obediens &c. & Orationem: Respice quæsumus, Domine &c. & pro Commemoratione dictæ Annuntiationis Antiphonam: Gabriel Angelus. & Orationem: Gratiam tuam quæsumus. Et pro omnibus Sanctis Antiphonam: Angeli Archangeli. Orationem: Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum. Et cum prædictis Commemorationibus, per longum temporis spatium, recitabat vltra canonicum Officium diuinum, quod est obligatorium, [& omnibus Sanctis,] Horas ordinarias solenniter omnium Sanctorum. [aut Officium de omnibus Sanctis,] Quando vero manebat in conuentu Bisuntinensi post Completorium, in cappella sanctissimæ Annæ per Fratres decantari faciebat prædictam Commemorationem omnium Sanctorum. Et caussa, propter quam libentius flagitabat Officium & Commemorationes prædictas, quam alias, talis erat. [excitata ad id visione S. Annæ] Nam postquam Anna sanctissima apparuit eidem in propria persona, cui se cordialiter cunctaque sua negotia recommendauit, in quodam suo raptu; diuina cooperante gratia, fuit sibi patefactum de solitudine diligenti, quam eadem Sancta gerebat pro suis expeditionibus exequendis. Et vltra fuit sibi ostensa prælibata Domina sanctissima lætanter & gloriosa, superinduta quodam habitu lucidissimo splendide renitenti, [patrocinium Sanctorum implorantis.] secum ferens vasculum siue discum plenum auro purissimo: in quo quidem vasculo mendicabat, & continue procurabat apud Sanctos gloriosos & Sanctas Paradisi suffragia caritatis & pias orationes ad ipsum Altissimum, quatenus propitiari

dignaretur ancillæ suæ, vt eius sanctum desiderium impleretur, & commissio sibi diuinitus facta, nec non per eam incepta, fructuosum sortiretur effectum.

[86] Quomodo vero feruentes & eius humiles orationes pluribus creaturis profuerunt, patet ex sequentibus. Nam in villa Aquæ-Spersæ territorij Auernensis, vir quidam & vxor eius abominabilis & execrabilis vitæ fuerunt, [Coniugibus ob graua delicta in furca interimendis,] pro suis demeritis per manum iustitiæ sententialiter ad mortem condemnati: pro cuius executione ducebantur ad furcam. Et quamuis diceretur communiter bene meruisse eos; nihilominus tamen multi compatiebantur eisdem, nedum pro perditione vitæ corporalis, verum etiam pro dispensatione damnationis æternæ, pro tanto quia se nullam habere de Deo cognitionem neque de suis defectibus demonstrabant, nec pro exhortationibus seu admonitionibus, [& in malo obduratis,] quæ sibi fieri possent, habere volebant: quin imo proferebant verba detestabilia, diabolicæ desperationi siue perpetuæ damnationi penitus obnoxia. Et cum inter aspicientes factum satis horribile esset quidam sanctus eremita, qui prætextu deuotionis gloriosam Matrem visitauerat, attenta perditione corporali spiritualique duorum miserabilium, statim genuflexit coram iustitiæ ministris, [post preces eremitæ] humiliter supplicans: quatenus expectare vellent, differendo præfatam executionem, donec ipse reuenire posset de peroptata recommendatione. Qua facta, confestim ipsa leuauit cor & manus ad Deum, deuote cum lacrymis & fletu dicens Psalmum, [legens Psalmum 50,] Miserere mei Deus &c. Antequam vero prædictum Psalmum perficeret, illi malefactores mirabilem conceperunt de Deo notitiam & de suis enormibus peccatis, [impetrat felicem obitum:] super quibus displicentes vehementer doluerunt, & cognouerunt se meruisse mortem, propter quod illam perceperunt in patientia perfecta, cunctique, qui

præsentes erant, fuerunt multum ædificati, magnam exinde spem habentes de sua propria salute.

[87] Alio tempore quædam Domina, Religiosa vtique bonæ vitæ sanctæque conuersationis, desiderans ex corde confiteri nonnulla peccata satis enormia, que, viuens in hoc seculo commiserat, [alteri præ verecundia non ausæ confiteri] & ad hoc peruenire non poterat. Nam quotiescumque perueniebat ad præsentiam Sacerdotis pro confitendo, præueniebatur ab hoste maligno, grandissimam verecundiam cordis eius oculis ingerente, sic quod nec audebat dicere de prædictis, sed qualis venerat, talis reuertebatur & ita permansit per spatium sex annorum non parum tristis & multum desolata. Finaliter autem poposcit se recommendari feruenter & humiliter sacris orationibus humilis ancillæ Christi. Quo peracto, statim accedens ad Sacramentum Confessionis, deposito rubore verecundiæ, sine difficultate plene confessa est & integraliter vniuersa peccata sua: [impetrat gratiam bene confitendi:] propter quod se in conscientia multum alleuiatam reperit, & in spiritu consolatam.

[88] In principio sæpedictæ reformationis, cum adhuc humilis ancilla Christi maneret in castro de Balma in patria Gebennensi; in eadem villa quædam domus nobilis erat, cuius habitatores pie siue caritative se gerebant circa ipsam, se suaque bona tam sibi quam suis Religiosis libenter offerentes, & libere communicantes: propter quod ipsa merito recommissos specialiter illos habebat in suis sacris orationibus. [familiam sibi maxime beneuolam,] Quam mutuam caritatem non ferentes hostes inuidi, feroces & crudeles, contra dictum hospitium excitauerunt persecutiones, [ab hostibus malignis oppugnatam,] illis procurantes & ingerentes grauissima damna. Sed pars virtuosa superauit: nam meritis & intercessionibus eiusdem Matris præseruati fuerunt ab

omnibus inconuenientibus tam ipsi fideles amici quam habitationes & bona: pro quorum saure benigno descendebant visibiliter Angeli de cælo, pro conseruandis illis a periculis, [in oratione] & pro resistendo contrariis & aduersariis in contrarium nitentibus sæuissima malignitate: prout euidenter ostensum fuit Matri gloriosæ & aliquibus de suis Sororibus. Vidit namque primitus ipsa, [protegi videt ab Angelis,] circa mediæ noctis horam, lucem quamdam clarissimam in circuitu dictæ domus, & in illa luce multitudinem Angelorum, conseruantium & defendentium dictos habitatores contra cunctas diabolicas infestationes. Postmodum vidit scalam auream situatam super eandem domum cælumque tangentem, [per scalam descendentibus] & Angelos adscendentes & descendentes per eam, qui Deo præsentabant orationes deuotas humilis ancillæ suæ, nec non pulchras eleemosynas & alia beneficia caritatis, quæ prælibati benefactores quotidie deferebant sibi suisque Religiosis. Et tunc ipsa vocauit vnam de suis Sororibus, [& Deo preces & eleemosynas offerentibus:] illi manifestans eandem caritatem & visionem: quæ nullatenus ad hæc pertingere potuit, donec oratio Matris esset super hæc præmissa: post quam perfecte videre meruit illam claritatem & visionem. Quæ res mirabilis & inenarrabilis plenius demonstrabat, quomodo preces eius & orationes deuotæ, [& procurat videri ab alia sanctimoniali:] nec non beneficia caritatis impensa sibi, misericorditer erant Deo placabiles & acceptabiles & gratæ.

[89] In quodam conuentu suo villæ Poligniaci primitus Religiosæ patiebantur magnam penuriam aquæ, quia necesse erat illis perquirere penitus extra monasterium, [in penuria aquæ,] cum intus nullo modo reperiri posset aqua; neque locus aptus ad puteum effodiendum, licet plures adhæc experti principaliter interessent. Et tandem feria sexta post medium Quadragesimæ, qua die cantatur

Euangelium in Ecclesia Romana, [præmissis precibus,] mentionem faciens de puteo, iuxta quem verus Saluator mundi postulauit aquam a muliere Samaritana, præmissis piissimis sacris obsecrationibus eiusdem Saluatoris, humilis ancilla mandauit effodere terram in quodam certo loco. Et statim exiuit abundanter aqua pulcherrima, & æque bona vel melior, quam in tota villa prædicta, [eam impetrat:] & etiam in tota patria reperiri posset.

[90] Idem in quadam alia villa patriæ Albiensis, quædam iuuenula mulier matrimonio coniuncta, vitæ satis honestæ, pulchræque conuersationis, quæ de præfato matrimonio quemdam paruulum habebat infantem, diuina permissione lapsa fuit in tam grauem infirmitatem, [mulierem in delirium lapsam,] quod totaliter sensum perdidit, sic quod nec Deum, nec creaturas aliquas, nec proprium infantem quouis modo cognoscebat. Et vltius sic erat deordinata, quod publice nuda sine verecundia penitus incedebat, vtens idiomate sic detestabili quod ad cuncta verba sibi prolata, numquam nisi per hostes infernales aliquid respondebat. Accidit autem, quod quidam vir Ecclesiasticus, Presbyter vtique bonus & venerabilis, Matri gloriosæ notus, & de sanctis virtuti eius notitiam habens, pietate compassiua permotus erga pauperulam infirmam, post paullulum sacris orationibus eiusdem Matris, existentis in longinqua regione, [precibus] recommendauit humiliter & obnixè, & post dictam recommendationem secundario reuersus de eiusdem Matris præsentia, dictam patientem infirmam, vt prius, caritative visitauit, tangens caput infirmæ quodam capitegio seu velo Matris prænominatæ. Quo facto, satis cito locuta est rationabiliter, postulans præ ceteris Sacramentum sanctæ Confessionis, [& attactis veli sanat:] & breuissime promeruit consequi salutem, acsi prius nihil mali sensisset.

[91] Item alio tempore quidam famosus mercator, de quo facta est mentio superius, per discrimen terrarum & pericula varia propter inundantiam niuium & aquarum ambulaturus, necessario cogentibus negotiis, [mercatores peregre abiturum, precibus suis commendatum,] tangentibus facta suarum mercimoniarum, præmissa recommendatione, cordialissime tam suæ personæ quam totius expeditionis sacris precibus & dignis deprecationibus humilis ancillæ Dei, statim disposuit accipere viam. Et ambulans per campos plenos, aquis & niuibus cooperientibus terram, vt tactum est, sic laboravit incessanter, quod penitus ignorabat vbi esset. Et nocte peruenit ad quemdam passum valde periculosum, sic quod quantumcumque parum amplius pertransisset, euadere non poterat absque periculo mortis. Nam cecidisset ineuitabiliter in quamdam profundissimam abyssum, aquis & niuibus omnino repletam. Verumtamen in puncto tam mortiferæ necessitatis recordatus est gloriosissimæ Matris, [in periculo apparens,] iterum suis sanctis precaminibus se devote recommittens. Quo facto, statim vidit Matrem prædictam passum illum periculosum custodientem, manuque signum illi facientem, ne procederet amplius, sed retrocederet: [a lapsu in præcipitium præseruat:] quod & fecit indilate. Propter quod euidenter cognouit eiusdem Matris meritis & precibus se periculum mortis euasisse.

[92] Insuper homo quidam magni nominis & famæ, eidem Matri notus & familiaris, filiam habebat carissime dilectam, & legitime procreatam: quam proponebat sancto Dei seruitio mancipare, videlicet in statu Religionis. Propter quod illam præsentauit & donauit prænominatæ Matri, quam illa libenter recepit, tamquam bene dispositam ad dictum statum Religionis obseruandum. Et paullo post vir prædictus dolens de sua filia, quam perditam reputabat, & displicentiam habens

de hoc, quod fecerat, requisivit eam instanter & rigorose. [puellam ad Ordinem admissam,] Propter quod humilis ancilla Christi non parum tristis moleste sibi reddidit, & postmodum se conuertit ad refugium sanctæ orationis, coram Deo gemens & plorans de puella sic amissa. Mira res! Pater ille sic tunc fuit induratus, [& a patre eductam, precibus fuis,] quod ad illum finem, vt filia sua perderet memoriam Religionis omnino, nec posset vnquam ad illam reuerti, iam ducebat eam ad patriam longinquam. Qua perducta, dum venit ad medium terminum viæ vel circa, ter cecidit penitus equus, super quem equitabat prædicta puella. [equo excæcato, recipit:] & in vltimo casu præfatus equus penitus excæcatus est: sicque tamquam lignum aridum, ad nihil de post factus vtilis, nec alicuius pretij nec valoris. Quo percepto, pater dictæ puellæ manum Dei contra se recognoscens, & opera Dei meritis ancillæ suæ mirabiliter concordare videns; reuersus est ad illam, veniam postulando suppliciter, & instanter requirens, quatenus sibi placeret filiam eius resumere ad statum Religionis. Cui supplicationi libenter & benigne condescendit.

[93] Finaliter alia nobilis, & præpotens Domina, Comitissa Valentinensis, diuturno desiderio multaque deuotione cupiebat ingredi sacram Religionem sæpe nominatam: [aliam Comitissam petentem ingressum in Ordinem,] pro quo faciendo seipsam probare voluit, longo tempore dure & in asperitate viuendo, scire volens an portare posset onus dictæ Religionis. Et consequenter humiliter requisivit Matrem gloriosam, quatenus dignaretur suo desiderio condescendere cum effectu. Cuius feruorem & deuotionem sanctumque desiderium cum perseuerantia percipiens Mater, concessit quod illa postulabat, assignando diem præfixam pro receptione facienda. Sed hostis antiquus, aduersarius omnium bonorum, diem illum approximari præsentiens tanti boni subsequendi, pro posse procurauit euadens impedimentum. [equis oratione

sanatis,] Nam omnes equi subito reperti sunt sic debiles & infirmi, quod videbantur nullo modo posse de terra surgere. Quibus auditis, Domina tristis & desolata penitus ignorabat, quomodo prouideret de remedio opportuno. Tunc autem decreuit se recommendare deuote cum toto facto suo dignis precibus eiusdem Matris. [admittit.] Quo facto disponens se, ante progressum statim fuit consolata. Nam omnes equi præfati reperti sunt sani, robusti, leues, ad omnia parati. De quo iam dicta Domina gaudenter & læte arripuit viam, & ad finem optatum peruenit: quam humilis ancilla Christi cum affectu visceroso recepit ad Religionem cum lætitia spirituali: in qua quidem prædicta Domina religiose vixit cum magna perfectione vsque ad mortem, colendo Deum virtuose, quo nunc fruitur gloriose. Ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Annotata

MSS. Corsend & Rub-vallis demandare: vsitato Gallicismo: sicut & seruitium pro Officio diuino, simili idiolismo paullo ante dixit: per prius, pro, antea: Francis, par-auant: & infra num. 92 de post, depuis.

Crucibulum, lucerna, mortarium. Ita Catholicon: videtur autem esse diminutivum ab inusitato Cruca, [Crucibulum.] quod Teutonibus & Francis cruyke, cruche vas fictile significat.

Intelligitur bellum Anglorum, qui irruptione facta anno 1415, & cæsis Francis, [Bellum Anglo-Gallicum.] late victores dominabantur, assumptis in Societatem belli Burgundis: qui anno 1435 reconciliati sunt Carolo VII Francorum Regi: qui deinceps, pulsus paullatim Anglis, cœpit præualere.

Marco Vlysip. dicitur Coleta de Apella-curte. Abbauillæo de Haplin-courte & asserit contigisse Polignij.

Oratio vel supplicatio Francis request a requirendo dicitur: item libellus supplex Principi aut Magistratui oblatus. [Requesta.] Hinc in Vita Hadriani VI Requestarum magister, qui illis excipiendis tradendisq; destinatur.

Acta S. Vincentij Ferrerij, & in ijs multiplices reuelationes dabimus 5 Aprilis. Mortuus is est anno 1419.

CAPVT XI.

**Deferuenti eius amore, reuerentia & deuotione
erga Passionem Domini nostri Iesu Christi,
adiunctis miraculis de eiusdem meritis factis &
completis per medium
signi salutiferi sanctæ Crucis.**

[94] Teste mellifluo Doctore S. Bernardo super Cantica sermone XLIX, Nil tam efficax ad curanda conscientie vulnera, [A propria matre hausit puellula affectum erga Passionem Christi:] nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio. Deuotionem feruentem & amorem, quem gerebat ad sacram Christi passionem humilis ancilla Christi Coleta, satis adhuc in ætate iuuenili consistens, inchoauit, hauriens primam impressionem ab ore matris naturalis, mulieris vtique Deum amantis & timentis. Quæ quidem omni die plorans & gemens, orationem faciebat de dicta passione, condolens iniurijs, percussuris & tormentis toleratis ab ipso Christo pro redemptione generis humani. Quam orationem, cum dolore cordis & amaritudine prolatam, ancilla Christi paruula diligenter attendens, per singula verba sic impressit memoriæ, quod numquam, dum vixit, potuit exhinc deleri per obliuionem. Propter quod singulis diebus hora meridiana, [in meridie de ea cogitatura,] qua

Saluator crucifixus est, ipsa sentiebat anxietatem vehementissimam & dolorem cordis intensum amarissimæ passionis Domini benignissimi Saluatoris: pro quibus secretius & deuotius supportandis, hora prædicta se libenter sequestrabat ab alijs personis, & tunc sic in priuato persistens, [se a consortio aliarum abstrahit:] omnes vires mentis implicare conabatur ad meditandum iniurias, persecutiones, conuitia vel opprobria, terribilem & confusibilem mortem, quam dulciter & patienter dignatus est pati præ desiderio nostræ salutis. Et sæpissime post illam deuotam meditationem alienabatur ab vsu sensuum exteriorum, [sæpe in extasim rapitur:] nihil penitus sentiens de rebus forensibus seu exterioribus: sed omnino rapiebatur & transformabatur in Deum, per ardentissimum desiderium & incendium amoris. Singulariter tamen in sexta feria, [ferijs sextis cruciatibus Saluatoris intenta, ante sextam pomeridianam non comedit:] ab hora sexta post Matutinum, audita sancta Missa, ad sextam horam post Meridiem, non manducans neque bibens, sic viuaciter & feruenter vacabat cordiali meditationi tenacique recordationi circa mysterium sacratissimum Dominicæ Passionis, quod tam corde quam opere, vehementissimi doloris aculeo sic se reputabat vulneratam; quod pluries in manibus & pedibus & latere sibi videbatur clavis & lancea se fore glacialiter perforatam. Quis, [sentit corporaliter dolores,] inquam, posset sufficienter exprimere lacrymarum abundantiam, pijssimos fletus, anxios gemitus, [maxime in hebdomade sancta:] quos ipsa perferebat per totam sanctissimam hebdomadam maiorem, recolendo tolerantiam excessiuam, nec non dolores amarissimos, quos ipse sufferebat.

[95] Fuerat namque sibi circa prælibatum mysterium collata quædam gratia specialis tempore virtuosæ iuuentutis: quia semel post quamdam profundam & feruentem meditationem de dolorosa Passione prædicta,

[a Christo apparente discit omnia, quæ passus est:] Saluator ipse Iesus Christus apparere dignatus est ancillæ suæ, modum & formam, quibus passus est, illi familiariter ostendens. Vterius eidem patefaciens, qualiter in singulis suis sanctissimis membris singulas pœnas speciales iniuste passus est amore nostræ salutis: & exinde concepit ipsa vehementissimum dolorem & anxietatem in corde suo. Et nihilominus extitit incensa deuotionis & amoris ardore quodam ad dictam Passionem, sic quod pluries & post recordationem præfatae visionis & pœnarum crudelium & horribilium, quas viderat in pretiosissimo corpore nostri Saluatoris, tota remanebat exhausta viribus, insensibilis omnino, & in statum alterum transformata. Propter quæ, sicut iam tactum est, in illa maiori & sancta hebdomada multis gratijs memoria dignis potiebatur. Nam cum legerentur Passiones in Missis coram ipsa, vt moris est, omnes dolores & tormenta, [dum in Missa legebatur Passio Christi,] quæ passus est Dominus Iesus in suo sanctissimo corpore, sic renouabantur in corde pariter & in corpore suæ dulcis & humilis ancillæ, quod apparenter numquam mulier aliqua tantum laborauit parturiendo, quantum ipsa condolendo. [tormenta omnia in corde sentit innouata:] Et in signum huius horis prædictis lamentabatur, & sic anxiosissime lacrymis irremedialibus & gemitibus inenarrabilibus, quod nullum cor quantumcumque durum talia percipiens abstinere poterat, quin molliretur ad pietatem & compassionem. Vnde per longum tempus sic permansit inflammata caritatis ardore & anxia cordialissimo dolore circa Christi Passionem & mortem; & qualicumque modo siue legendo siue alias sibi reducebatur ad memoriam Passio prælibata, totum intellectum & omnes vires sic occupabat circa idem mysterium, quod interdum sex horis vel plus nihil aliud omnino cogitabat, nec intelligebat, nec exterius sentiebat. Semel residens in conuentu Bisuntinensi in prædicta maiori hebdomada, sic viuaciter applicuit cor

suam meditationi dolorosæ Passionis Christi, quod per trium dierum spatium & continuarum noctium rapta fuit in Deum. Neque illo spatio fuit ad se reuersa, [per triduum in extasim rapitur:] nec locuta quidquam fuit, nec bibit, nec manducauit.

[96] Alia vero vice, die sancta Parasceuæ, ab hora matutina vsque ad illam, qua Sorores de Capitulo reuertebantur, sic occupata fuit in meditatione grauissimæ pœnæ, [in Parasceue Domini,] quam idem Christus pertulit in corpore suo, quod ibidem passa fuit tam asperrimum tormentum, quod Sorores egredientes de Capitulo, obuantes eidem, [post meditationem Passionis apparet facie mutata,] pro miraculo respicerent in illam. Nam videbatur, quod facies eius pretiosa sic vehementer extitisset percussa baculis, quod nihil penitus remansisset, nisi pellis & ossa confracta & comminuta, cum naso torto vel complicato. Verumtamen illis Sororibus videntibus, paullatim species faciei reueniebat, & nasus rectificabatur, donec reduceretur ad pristinum statum. Et post dictam colloctionem habitam cum Sororibus, [in extasim rapitur:] pertimescens, quod signum aliquod percepissent de facto, subito reuersa fuit ad oratorium, & statim rapta fuit vsque ad noctem.

[97] Item in die Ramorum existens cum humilitate magnaque deuotione cum ceteris Religiosis in processione sancta, [die Palmarum] quæ representat aduentum Domini Salvatoris in sanctam ciuitatem Ierusalem, pro tolerando mortem & passionem; ibidem ramum sanctum portans iuxta morem cum alijs, sic profundauit cor ad cogitandum de aduentu præfato, [fert ramum,] quod sibi videbatur sic se fore proximam & coniunctam eidem Domino, quasi corporaliter tangeret illum pariter & asinam, cui humiliter insidebat. Quæ quidem asina rami virorem præsentens, quem manibus ipsa ferebat, sic appropinquauit eidem ramo,

[euanescentem, quasi ab asina comestum:] dentibusque illum ab eiusdem manibus auferebat. Et exinde dictus ramus euauit, acsi foret comestus ab asina, nec vnquam amplius fuit visus neque repertus.

[98] Loca vero sacra vltamarina, dotata mirabiliter & sacrata siue benedicta sanctissima præsentia Domini Saluatoris, gerebat in corde cum deuotione pariter & reuerentia multa: specialiter tamen locum & ciuitatem suæ passionis & mortis. Quin licet debilis esset & tenera, periculaque siue transitus maris essent non parum difficilia; nihilominus tamen ipsa erat desiderantissima libenter arripiendi viam, [obeat proficisci Hierosolymas:] deuoteque visitandi & offerendi seu sacrificandi Deo vitam suam, & illic moriendi vel vitam finiendi propter Deum: & de facto dedisset operam, si reperisset consilium sibi condescendens & licentiam ad hoc sufficientem. Inter ceteras autem Reliquias, quas Ecclesia sancta Dei, Mater nostra, digne veneratur, honore singularissimo dignaque reuerentia ferebatur ad lignum sanctæ Crucis, in qua Christus Iesus Saluator benignissimus crucifigi dignatus est & mori: [cælitus accipit partem sanctæ Crucis, qualem sæpius optarat:] propter quod & affectuosissime cupiebat portionem aliquantulam sibi communicari. Nec fuit coram Deo condecens, Matrem prædictam a suo desiderio defraudari. Nam cælitus emissa fuit sibi quædam crux aurea, paruula, infra quam incassata siue conclusa fuit portio quædam veræ sanctissimæque Crucis Christi: quam ipsa deuote custodiuit & reuerenter, pluresque personæ viderunt illam & tenuerunt. Asserebat insuper & pro certo dicebat, prædictam Crucem non manibus humanis fuisse fabricatam. Et pariformiter sicut affectuose reuerentur & honorabat Crucem Christi verissimam: ita pro modo singulariter afficiebatur ad signum sanctæ Crucis. Per cuius signi virtutem meritis humilis ancillæ suæ Dominus dignatus est, quam plurima miracula manifestare: quorum hic aliqua subscribuntur.

[99] Nam in exordio superius nominatæ reformationis quam plurimi paruuli ducti siue præsentati sibi fuerunt, diuersis infirmitatibus prægrauati, [signo Crucis sanat pueros infirmos,] modoque subtili & obscuro sibique non manifestato conabantur amici vel parentes illorum ipsam inducere, vt eosdem contrectaret manibus, & signo muniret sanctissimæ Crucis. Quo facto, penitus sospites reddebantur. In conuentu quodam eiusdem Matris, vna Religiosa vexabatur tanto dolore capitis, [Religiosam a vehementissimo capitis dolore:] quod arbitrabatur se fore morti proximam propter illum intolerabilem dolorem. Quid plura? Deceuit ad Matrem accedere, grauamen illi pandit, humiliter postulans signum sanctæ Crucis ab eadem sibi supra caput imprimi cum manuali contactu. Cui pijssima Mater valde compatiens, & super infirmum caput illius manum imponens, signum Crucis impressit. Quo facto, dolor euanuit, & sanitas adfuit plena atque perfecta.

[100] Cum semel ancilla Christi redderet se quibusdam explendis negotijs pro sua sancta Religione, peruenit cum sua simplici comitiua iuxta ripam cuiusdam profundi fluminis; [fluuium transit cum suis,] vbi nulla reperta naui neque navigatoribus ad transmeandum, humilis ancilla prædicta de Diuina bonitate confidens, signum Crucis præmisit, & per Confessorem suum idem fieri rogauit: & sic secure transitum periculosum & profundum attentauit, & attentatum confidenter & sine difficultate cucurrit cum omnibus de comitiua prædicta: quorum aliqui Pedites, aliqui autem Equites faciliter euaserunt. Et paullo post acies multorum in equis validis & fortibus in dicto passu pertransire præsumentes, & pauperes simplices minus honeste deridentes sub talibus verbis: Si Bigardi & Hypocritæ transierunt secure, quare nos transire dubitamus? [alijs eos irridentibus submersis:] Finaliter intrantes ijdem fluuium, ibidem submersi remanserunt.

[101] Alia vice, transeunte Matre gloriosa de vno conuentu ad alterum, currus eius cecidit in quamdam profundam foueam repletam aquis: & tunc vna Sororum eius consocia quamdam petiam vnicornis, prædictæ Matris satis caram, habebat in custodia recommissam. Quæ quidem petia casu lapsa fuit in prædictam foueam & in profundum aquarum. [vti sanctimonialis fisa eius meritis seruatur:] Vnde non parum Soror illa tristis effecta & desolata, confidenter se recommisit in corde suo sacris orationibus sæpissime nominatæ Matris: factoque signo Crucis, confidens in eandem foueam repletam aquis intravit, & secluso quolibet adminiculo cuiuscumque creaturæ, præter quemdam ramusculum adinstar rami vitis siue palmitis, quæsiuit, reperit & reportauit dictam petiam vnicornis, natantem in aquarum medio: neque fuit madefacta, nisi valde parum, & hoc in planta pedis præcise.

[102] Aliud miraculum non minoris admirationis subsecutum est. Erat enim in quodam monasterio Dominarum Religiosarum quædam ex illis, [Religiosam rabie quadam agitatam,] fama laudabilis & honestæ vitæ: quæ Deo permittente tam horribilem incurrit infirmitatem per spatium quinque annorum, quod omni die semel ad minus grauiter cadebat in terram, per os expumans inhoneste, velut aper siluestris persecutus a venatoribus, & hoc abundanter. Et postmodum remanebat tamquam rabida, perditio sensu, velut a dæmone obsessa. Et quamuis a multis personis fortibus fortiter & stricte ligaretur, & ligata teneretur; non tamen propter hoc stabat, quin illis inuitis turpiter eleuaretur, & saliret vsque ad trabes, ab ore vomens, calorem teterrimum ad modum fornacis, atque etiam ventum validum adinstar fulguris emittebat, & in statu tali per longum spatium perseuerabat. Vnde ceteræ Religiosæ prædicti monasterij multum grauabantur, & pluribus modis affligebantur, penitus ignorantes quid agere deberent

pro remedio opportuno. Sed tandem recordantes de virtutibus humilis ancillæ Dei Coletæ, [liberat misso Confessario,] suis illam sacris precibus affectuose recommendauerunt. Quæ quidem pietate permota, caritative misit illam visitari per vnum de suis Patribus Confessoribus. Et ille tamquam fidelis nuntius de meritis eiusdem Matris confidens, infirmam illam deuote muniuit signaculo sanctæ Crucis: [& signo Crucis facto.] & statim infirma illa liberata fuit a tanta infirmitate, nullo penitus signo remanente nec vlterius apparente talis infirmitatis.

[103] Semel quædam Religiosa de filiabus eiusdem Matris, [sanat aliam ægram, manus attactu:] dicta Soror Iohanna de Lazarree, graui dolore torquebatur in manu, nesciens quid agere deberet. Tandem cogitauit ad eandem Matrem accedere, pro postulando dulciter & humiliter, quatenus vellet signum Crucis imprimere super manum infirmam. Et cum sibi præsentaretur pro prædicta benedictione assequenda; humilis ancilla, tristis & dolens, & quasi dedignata, manum infirmam expellens, retro tetigit sua manu propria: ex quo contactu, per indignationem facto, plene fuit sospitati subito restituta.

[104] Quædam similiter Religiosa de suis infirmata, grauiter anxiebatur, [aliam comesto pane signo Crucis benedicto:] tribus diebus fere nil manducans neque bibens. Cuius recordata pia Mater, interrogauit, qualiter se haberet. Responsum est, quod grauiter vexaretur, & quod æstimaretur in breui moritura. Tunc ipsa sumpto quodam globo grossi panis, ibique facto signo Crucis, misit infirmanti, mandans vt statim comederet illum. Quo peracto, se sanatam cognouit, & taliter quod in crastinum exiuit infirmariam.

[105] Cum ancilla Christi semel resideret in quodam conuentu in patria penuriosa, maxime quantum ad granum & vinum; non erat ibidem pro sanis & infirmis, nisi

parua portio vini, quod sic erat infectum, quod causabat fastidium omnibus sentientibus. De quo dicta Mater in quodam vasculo paruo sibi mandauit aliquantulum apportari: [vinum fœtidum & infectum signo Crucis reddit bene olens:] & facto signo Crucis super illo, statim perdidit totam infectionem & fœtorem; nedum illud quod erat in vase sibi delato, sed etiam totum vinum in vase principali contentum, tali modo quod quotiescumque vinum ferebatur pro refectioe Sororum, ante benedictionem mensæ vinum erat fœtens & insipidum, post illam vero, virtute signi sanctæ Crucis dulciter fragrabat, & erat bonum vinum sapidum & deliciosum.

[106] Semel data fuit ancillae Christi quædam eburnea parua pulchraque tabula, quam specialiter diligebat, propter quasdam picturas deuotas de Passione Saluatoris in illam protractas, quæ maligno instigante spiritu seu procurante fracta fuit. [fractam picturam de passione Domini,] Quapropter dolens ipsa conquerebatur Patri suo Confessori, qui confortabat eam, promittens se facturum dictam tabulam redintegrari. Et de facto recipiens illam, iter arripuit pro portando magistro, qui sciebat reparare. Cum autem in via voluit curiose respicere dictam tabulam, quam signauit signo Crucis, [recipit integram signo Crucis.] aperiendo reperit illam integram sine fractione, quasi semper stetisset illæsa.

Annotata

Incassare, a Gallico & Belgico Casse formatum, qua voce indicatur arca, [Incassare.] capsula, cista, cui includere est, incassare.

Bigardi seu **Begardi** aut **Beguardi**, qui in Concilio Generali Viennensi anno 1313 cum Beguinis fuerant damnati hæreseos, [Bigardi.] vitam profitebantur monasticam, sed

varijs erroribus imbuti erant, vnde per contemptum alij Religiosi Bigardi appellati.

Sentire Francis tum olfacere significat, tum olere, quomodo hic paullo inferius accipitur.

Iisdem pourtraire protrahere, idem est, quod pingere: vnde effigies ad viuum expressa, pourtrait quasi protracta illis dicitur.

CAPVT XII.

De ingenti deuotione dignaque reuerentia, quam gerebat ad pretiosissimum Sacramentum Eucharistiæ, receptioneque non parum admiranda Corporis Dominici.

[107] Ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum afficiebatur mirabili deuotione & maxima reuerentia dulcis Christi ancilla Coleta. Nec mirum, quia iuxta sententiam Augustini, exinde hauritur omnis contemplatio: in eodem reperitur spiritalis consolatio: nec non ibi dulciter sapit feruens meditatio: per illud condonatur æterna beatitudo. Quibus attentis, vbicumque foret, Missam sanctissimam, [Ad maiorem pro Missa audienda præparationem sæpius confitetur:] in qua pretiosum Corpus Domini nostri consecratur, deuotissime cum inundantia lacrymarum quotidie audiebat: pro qua deuotius audienda sæpius conscientiam per humilem Confessionem studebat præparare. Quas quidem Missas cum pro caussis necessarijs compellebatur extra conuentum audire cum ceteris publice, audiebat eas secreta, nec aliquem secum illo tempore permittens, præter celebrantem & illum qui sibi ministrabat, ne forte panderent gratias spirituales sibi tunc diuinitus immissas. Et quamuis in publico deuotissime audiebat eas, multo magis tamen dum in suo secreto esset.

[108] [maxime deuota tempore eleuationis:] Dum autem perueniebatur ad eleuationem pretiosissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, cum humilitate profundissima, tremore vehementi, adorabat illud, seipsam deprimendo, vilificando & annullando, plorans & gemens taliter, quod tota liquefacta videbatur in fletibus & lacrymis: sic alte vociferans in anxietate cordis, quod cunctos audientes & percipientes mirabiliter attrahebat ad compassionem & ingentem admirationem. Et nihilominus de dicti Sacramenti altitudine, virtute, magnitudine pariter & excellentia, condigna gloriosaque præsentiā, sic mirabiliter sentiebat & euidenter cognoscebat mysteria gloriosa, vt præsentes arbitrabantur veridice, quod Saluator Iesus Christus se per specialem gratiam manifestaret eidem in aliqua forma sibi soli nota iuxta sui beneplacitum, interdum gloriosa, [creditur Christum sæpius vidisse:] interdum vero pia seu dolorosa. Et post dictam adorationem sæpissime remanebat diuini amoris igne succensa, & in spiritu plenius eleuata, Deoque perfecte coniuncta, sic quod sibi videbatur, quod tota foret in Deum transformata, & super naturam omnino raptā: [in extasim rapitur:] taliter quod omnes sensus naturales penitus cessabant ab usu suorum officiorum. Et mirabile certe: nam sæpius in eleuatione prædicta Corporis Iesu Christi clare cognoscebat statum conscientie Missam celebrantis, [cognoscit vtrum celebrans Missam, sit in bono statu:] an scilicet foret in bono vel malo statu. Sed ne panderentur gratie sibi specialiter a Deo collate, pro bono conscientie celebrantis & vt prouideretur de remedio opportuno; prudenter & secrete ipsa deducebat in notitiam sui defectus talem celebrantem, nihil tamen pandendo de suo modo seu via, qua deuenerat in notitiam prædictam.

[109] [cognoscit in spiritu præsentiā Christi:] Et respectu dicti Sacramenti de gratia singulari numquam potuit hæsitare neque formidare, quantumcumque paruo spatio

sibi ostenderetur, quin esset verum Corpus Christi cum perfecta notitia de eiusdem magnitudine, magnificentia, dignaque præsentia, nedum intellectuali sed etiam sensuali. Nec tam subito sibi poterat ostendi, sicut communiter fit in communicatione seu receptione Fratrum laicorum vel secularium deuotorum, quæ fiebat interdum in sui præsentia, quin statim ipsum adorans in fletibus & gemitibus subito mutaretur. Ad cuius rei maiorem euidenciam cum semel esset in conuentu situato in quadam patria, in qua celebratur & conficitur communis in albo vino quam in rubeo, & cum administrans aquam esse vinum putaret, de facto obtulit Sacerdoti aquam loco vini, [& cum aqua oblata esset loco vini,] quo Sacerdos in præsentia Matris erat celebraturus. Perueno autem ad adorationem Corporis Domini, adorauit ipsum cum humilitate, reuerentia, fletibus & gemitibus consuetis, sed postquam peruenit ad adorationem Sanguinis, sentiens in spiritu non esse ibi verum Sanguinem Christi, [scit in calice non esse Sanguinem Christi:] non adorauit calicem iuxta solitum morem.

[110] Plures insuper Religiosæ vel seculares personæ multoties desiderauerunt, & de facto laborarunt esse personaliter prope vel intra oratorium, de quo Missam audiebat, pro notitia experimentalis captanda de feruenti & humillima deuotaque pretiosissimi Corporis Domini adoratione per ipsam exequenda, [deuotione in adorando Christo attrahit omnes in admirationem:] nec non pro audiendis gemitibus dolorosis pijsque clamoribus, quos faciebat in Christi præsentia gloriosa: quod tamen ipsa nullatenus permittere voluit, maxime nisi forent multum spirituales vel sibi singulariter familiares. Et si forsitan aliqui tales non valentes palam appropinquare seu intrare, clanculo latitabant in locis secretis & proximis oratorio eius pro signis huiusmodi experiendis; non hoc latebat spiritum eius: nam quod creatura celare conabatur, hoc Creator eidem Virgini propalauit. Et

tantam habebat notitiam de latentibus & absentibus, quantam de astantibus & clare visis præsentibus; & ideo de talibus desolata, pie conquerebatur suis Patribus & Fratribus, eo quod non poterat iuxta consolationem suam adorare Deum suum, sentiens apud se tales insidias, arcana sui pectoris experiri cupientes. Interrogata vero, quare sic alta voce fletus & gemitus dabat in elevatione prædicta, [non potest non alia voce ingemiscere sub Elevationem:] dulciter respondit: Quod aliquoties aliud facere non poterat, etiamsi totus mundus tunc præsens esset. Nam sentiebat magnitudinem & potentiam Regis Regum, respectu cuius nihil est totus mundus. Verumtamen dum audiret Missam in publico, vel intus vel extra, licet æqualiter sentiret; nihilominus pro divino beneplacito, mirabiliter in hoc secum dispensante, non ostendebat sic pietatem exterius, sicut facere consueverat in privato seu secreto.

[111] De receptione vero pretiosissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, [susceptura sacram Eucharistiam,] quanta devotione se gerebat ad ipsum, indicibilis admirationis reputandum arbitror, cum illi, qui proprie sibi ministrare consueverant, vix possent explicare sufficienter. Quamvis enim conscientiae purae munditia gratiaeque plenitudine cum virtutibus quamplurimis reniteret; nihilominus tamen in praesentia sanctissimi Sacramenti clamans alta voce, seipsam deprimebat indicibiliter, & reputabat vilem, immundam & abominabilem, indignam vita conversationeque cum ceteris, [præmittit actus humilitatis,] etsi quantumcumque malis, & hoc propter offensiones innumeras, quas confitebatur se commisisse coram bonitate & maiestate divina. Vnde summe tristabatur cum tanto dolore & displicentia, [& contritionis:] flens irremediabiliter, quod cor eius scindi videbatur: & duo oculi eius cernebantur esse fontes continuo fluentes & viuaciter, propter lacrymas, non guttatim sed ad modum riuulorum

emanantes: vnde tota rigata penitusque madefacta remanebat, gemens, dolens, & anxia valde, velut mulier in partu seu quæuis persona morti adiudicata. Propter quod administrantes sæpe & audientes mirabiliter stupebant, & in se confusi valde terrebantur. Statim vero post humilem & deuotam receptionem Corporis Domini nostri Iesu Christi, [post Communionem per plures horas rapitur in extasim:] tota rapiebatur in ipsum, & permanebat immobilis & quasi mortua per duodecim horas, aliquando per decem, ad minus vero per sex, in quibus nil extrinsecum sentiebat. Cum autem ad se reuertebatur, faciem ostendebat totam Angelicam, pulchram & lucidam, gratam & placibilem ad videndum, quasi cælestem & ab omnibus terrenis alienam. [dein facie clara & lucida apparet:] Verba vero sua erant dulcia, profunda & cælica, perfectissimam Dei dilectionem commendantia, quoslibet ad eius perfectam notitiam inducentia, nec non ad feruens desiderium bonorum spiritualium & æternorum, & cum hoc ad contemptum & despectum vitæ transitoria, [verbis inflammat alios:] variabilis & multum mutabilis instigantia, cum vanitatibus eiusdem & concupiscentijs inordinatis.

[112] In arduis autem negotijs, magnis, difficilibus & obscuris, quæ sæpius occurrebant, [in rebus difficilibus consugit ad Eucharistiam:] totum suum recursum habebat ad prædictum sanctissimum Sacramentum: cuius receptionem modis supradictis continuabat indefectibiliter, aliquando per annum integrum, aliquando vero per quadraginta dies continuos, interdum vero per triginta: nihil tamen omittens de conditionibus supra expressis. Quando vero Diuina Clementia decreuerat aliquid arduum, siue magna commendatione dignum, [non præbens rebus inspiratis assensum,] per eius medium ad effectum vel finem perducere; cum ipsa per profundam humilitatem recusasset operam dare talibus laude dignis, ne forte de ipsa posset æstimari quidquam

virtutis vel gratiæ spiritualis Dei quomodolibet latitare; Diuina tamen operante gratia, per medium huius Sacramenti compellebatur vt coacta ad talia prosequenda, & hoc tali forma, quia huius Sacramenti species per se transglutire nullatenus poterat, donec inspirationi liberum daret assensum, quia alias in ore eius integrum permanebat. Vnde interdum contigit ex huiusmodi necessitate ipsam taliter impediri, [nequit sacram Hostiam deglutire:] quia assensum dare timuit, vt Corpus Domini transglutire non valens, adire suum Confessorem pro salubri consilio fuerit adstricta: cuius consilio dum assentiret negotio, statim deglutiuit sine impedimento.

[113] Semel accidit, quod in quadam solennitate desiderans cum deuotione magna sanctissimum illud Viaticum assumere, dixit suo Confessori, quod vellet ministrare seu consecrare Hostiam vnam pro ipsa in Missa. [Sacerdote omittente Hostiam consecrare,] Quod ille non intelligens vel minus diligenter aduertens, hoc penitus omisit. Et licet dubitaret de prædicto mandato, non tamen ad eam recurrere audebat pro certificatione, ne forte perturbaret ipsam a suis deuotis orationibus. Cum vero peruentum est ad horam receptionis, iuxta morem solitum, dictus Confessor percepit fletus & grandes gemitus, quos dicta Mater exprimere consueuerat in tali hora receptionis. Vnde non parum admiratus Confessor, cum non consecrasset pro ea, mox iudicauit non sine magno mysterio illi hoc accidisse. Post completum vero Officium, & post speciales orationes Confessor ab ea petijt, vnde hoc proveniret, quod ipse audierat. At illa humiliter respondit, quod Dominus noster Iesus Christus se proprijs manibus communicauit, [a Christo accipit Communionem.] suum Corpus pretiosissimum eidem ministrando. Quibus auditis, dignus ipse Confessor permansit consolatus, cognito veridice, quod summus Sacerdos, vna secum ancillæ suæ tam

excellentem gratiam contulerat, quod scilicet per semetipsum sacramentaliter se illi donauerat.

CAPVT XIII.

De auctoritate erga seipsam & de humilitate ac dulcedine per compassionem ad ceteros.

[114] Quoniam austeritas vitæ cum carnis mortificatione sensus & corda custodit, corpus in omni puritate conseruat, ea propter ancilla prænominata Christi Coleta semper, a primo flore iuuentutis vsque ad vltimum vitæ terminum, redigere studuit corpus suum in spiritus sanitatem, austeram ducens mirabiliter & asperam vitam, [A pueritia ieiunio dedita carnes non gustat:] continuo ieiunans, a pueritia carnem nullatenus gustans: quinimo nec pro quavis corporis infirmitate seu debilitate ieiunium aliquo modo soluens, neque ob hoc substantiam alimenti vitæ corporali necessariam aliquatenus ampliandam vel relaxandam. Accedens autem ad scholas in ætate puerili, ne forte a parentibus compelleretur soluere ieiunium; tempore prandij, hora videlicet meridiana, numquam aut raro edebat, [ad vesperam ieiunat:] donec post vesperam redibat domum. Si quis per ciuitatem, qua orta est, de esu sobrioque eius victu percipere voluerit, ipsam magis diuinam vel angelicam duxisse vitam, quam humanam certissime comprobabit. Quod enim fateor, ipse stupesco. Nam instar, [aut integris quadraginta diebus, aliquoties pane & aqua:] vt ita dicam Domini, Saluatoris quadraginta diebus totidemque noctibus continuis absque cibi cuiuslibet vel potus susceptione certitudinaliter, Dei fauente gratia, comperta est ieiunasse. Pluries insuper sanctam Quadragesimam in pane & aqua ieiunans, effectu compleuit, licet nimium corporis debilitate inde grauaretur. Et si aliquando pro refocillanda natura aliquantulum vini in aqua ponebat, non tamen in tantum imposuit, quin vinum in aquam potius, quam econtra, transsubstantiaretur. Quando vero

per dispositionem diuinam aliquam grauem pœnam, vt sæpius contigit, sustinere debebat; tunc illa durante, nec panem nec vinum nec quidquam aliud sumebat ipsa, quia in nullo creato plus quam in terra tunc gustum habebat. Quod si interdum compellebatur pro recreanda natura aliquid accipere, tunc vix ad similitudinem pastus auiculæ esum sumebat. Et aliquoties absque sumptione cibi & potus sustentabatur aliorum cibo, quos in sua præsentia cernebat epulari.

[115] Postquam autem medico supremo disponente, dictas pœnas euaserat, pro tota sua refectione solum requirebat vnum frustum panis, [solo pane pro magna delectatione reficitur:] coloris mediocris inter album & nigrum: de quo in prandio tam suaviter reficiebatur & consolata erat, quod erat delectabile etiam intuenti. Et apparuit euidenter, quod numquam filij Israël manna de cælo tam deliciose gustauerunt, sicut illa faciebat panem prælibatum. Et tunc verbis dulcibus contemnendos dicebat cibos carniū & magnorum piscium & similes, asserens illos non sic esse mundos, quemadmodum panis. De carnibus autem, sicut dictum est, numquam a pueritia gustauit. Paruos pisciculos libenter videbat; de quibus sibi gratis oblatis pro sua consolatione compellebatur interdum comedere precibus offerentium, quibus condescendens, licet inuita, caput & caudam amputare faciebat ab eis & sic modicum sumebat. Semel autem cum a die Ramorum vsque ad Cœnam Domini, [in hebdomada sancta solum in Cœna Domini comedit:] nullum penitus cibum admisisset, nec similiter dicta die Cœnæ Domini vsque ad solennitatem Paschalem, in qua a Deo sibi missa fuit, vt pie creditur, quædam parua gallina, quæ paruum ouum statim posuit iuxta ipsam, de quo dicta die solennitatis fuit sic fertiliter relecta & abundanter, quod de post consequenter per tres dies continuos nihil omnino comedit.

[116] Et quamuis ita foret austera sibi ipsi, cum hoc tamen erat liberalis & caritatiua ceteris affectuose, desiderans & volens, [liberalis erga Religiosas,] quod Sororibus suis & Fratribus eisdem administrantibus prouideretur competenter & rationabiliter, iuxta modum sanctæ paupertatis sine superfluitate, numquam de diuina bonitate & misericordia diffidens quin prouideret illis de necessariis, si fideliter obseruarent vota siue promissa. In multis autem ciuitatibus & notabilibus villis, in quibus erant sua monasteria situata: [quæ ipsi ab externis mittuntur, in commune distribuit:] caritatiue propter Deum & respectu suæ reuerendæ præsentia nonnulli sibi mittebant panem vel vinum specialiter, seu alia cibaria magis pretiosa: de quibus numquam tangere voluit, nec quidquam gustare per se, quin statim illa destinaret infirmis vel aliis indigentibus, vel omnibus in communi. Si tamen aliquando propter debilitatem nimiam adstringebatur aliquid speciale pro confortatione sumere, quod ita modicum erat, quod aliis in communi diuidi non poterat, hoc cum tristitia cordis & lacrymis dolens, inuita sumebat. Omnia enim communiter, quæ ei præsentabantur mandibilia, ita largissime & abundanter Religiosis distribuebat, quod aperte in eius videbantur crescere manibus, & multiplicari, sic quod modica recepta & per eam distributa pluribus abundabant. Fratribus insuper forensibus seu administratoribus monasteriorum, præ deuotione visitantibus eam, siue reuertentibus de quæstu vel eleemosyna, vel aliis etiam personis ad ipsam declinantibus, quibus inesse videbatur indigentia vel necessitas alicuius refectionis vel consolationis, [erga hospites & pauperes benigna:] tam dulciter & caritatiue præsentabat cibum vel potum, illis implendo vascula, sic quod interdum aliqui de suis pulchris virginalibus digitis liquorem contingebant: de quo contactu plus satiebantur illi quam de vini poculo.

[117] Si vero perciperet aliquem indigentem & egenum, nec haberet unde sibi succurreret, tristabatur & dolebat cum desiderio facultatis supplendi tali necessitati. Cuius affectum intuens Altissimus, sæpius alicuius deuotæ personæ cor excitabat, [inexpectato excipit distribuenda:] vt deferret Matri eleemosynam, vt & ipsa indigenti consequenter subuenire posset. Nam vice quadam in conuentu quodam residens, situato pro tunc in patria famelica, in qua blada & alia comestibilia non nisi cum magna difficultate reperiabantur, & erant carissima: unde & pauper populus valde erat afflicto, ipsa quoque Christi ancilla, tam pro suis quam pro aliis, nimium anxietate præ compassione. Subito autem & velut ex insperato sola Dei gratia sibi prouidit de quodam pulchro sacco, [& saccum frumenti diutius solito durantis.] repleto frumento purissimo, delectabili ad videndum: fecitque illud secrete distribui pauperibus & egenis ac necessitatem patientibus: unde refocillauit multorum inopias, & diutius credito perdurauit. De prædictis autem bonis, sibi a Deo transmissis vel collatis, distributione congrua facta pauperibus & indigentibus, nihil sibi penitus retinebat, etiamsi aliquid superesset; quin illud potius conseruaret pro superuenientibus egenis & necessitatem patientibus. Et pluries experimento patuit absque diminutione bona præfata sæpius erogata, [Oua sibi data in pauperes distribuit numero non decrescente:] toto tempore perdurasse. Nam semel ob Dei reuerentiam & amorem sibi donata fuit quædam quantitas ouorum, in patria scilicet ubi pauca reperiabantur, de quibus libenter receptis, & in quadam arca reclusis, liberaliter omnibus postulantibus, tam pro sanis quam infirmis, communicabat, nec tamen decrescebant: quod ipsa clare percepit, nec tamen os suum aperuit. Similiter vinum, quod sibi aliquando propter Deum conferebatur, [vinum sibi oblatum erogatur absque diminutione:] diu custodiebat pauperibus erogandum, & aliquoties per longa temporis spatia sine diminutione, nec non absque bonitatis vel

saporis amissione. Altera namque vice duobus Fratribus, pro negotiis Religionis transmissis, aspero tempore per viam discriminosam libere tradidit quamdam boticellam vini pro recreatione spirituum in via desolabili. Qui quidem vsi sunt vino temporibus opportunis, reperiens illud singulariter bonum, confortatiuum, & sufficiens pro complendo totum cursum itineris absque diminutione.

[118] Et licet in regionibus, in quibus est vinearum fertilitas, sibi vinum præsentaretur affluenter; in illis vero in quibus est vini penuria vel omnimoda sterilitas, competenter & gratiose; ipsa tamen, [bibit fere aquam aut parum vini admiscet:] vbi abundantia vini erat, non amplius pro se sumebat, & dum sumeret, sic aquam miscebat, vt vinum in aquam transsubstantiatum dici posset: in illis autem, vbi penuria, nihil omnino, nisi infirmitate coacta, sumere volebat; & plenum eius refrigerium erat in aquarum poculo. Et veluti boni potatores ad cognoscenda vina ponunt sua studia; sic in aquis discernendis erat ipsa magistra: de quibus tamen sæpe, ne iuxta sui libitum gustaret, sese refrænabat omnino. Et si quando forte contingebat in locis vbi aquæ sunt parum distillatæ & grossæ, tunc in phialis vitreis ipsas bulliri faciebat sanitatis causa. [mortificat se in aqua bibenda:] Hostis vero antiquus de perfectione & austeritate vitæ ipsius offensus, & ægre ferens, fructumque, quem Christo afferebat, despiciens; tunc cum semel virgo Christi siti afficeretur intima, aqua vero eius ad ignem in phiala bulliret, nec alia haberetur, percussit imperceptibiliter phialam illam cum grosso baculo, intantum vt eam vltra quam in centum fragmenta diruperit: ipsa vero patientissime Deum laudando sustinuit, [phialam aquæ bis fractam precibus reparat:] vnde res miranda non modicum euenit. Sicut enim de S. Donato legimus, quod ipse, collectis fragmentis calicis conquassati, calicem integrans in formam pristinam reduxit, nullo signo remanente; similiter fragmentis

ampullæ diligenter a Christi ancilla collectis, & eleuatis oculis & corde ad Deum, subito reintegrata fuit omnino & pulchra, vt prius. Et sic bina vice fracta per hostis malitiam, bina vice reparata est per ancillæ Christi humilem & piam sanctamque orationem.

[119] Item alia vice quædam Religiosa ex suis Filiabus, vadens pro aqua pro dicta Matre, secum detulit librum Matris vsui deputatum: quem inaduertens apertum, in aquam cadere permisit: qui taliter madefactus & taliter destructus est, vt nullius valoris vltra reputari potuerit. Ipsa Filia vero multum tristes & dolens, ac desolationem Matris contremiscens, quid actura sit ignorat: [librum in aquam delapsus,] tandem timore pallida, humilis, prostrata, Matri factum narrans, librum ostendit: quam pia Mater sic stupefactam cernens & timidam, affectu dulci compatiens, ait illi: Noli timere, Filia, quia liber non perdetur. Et mox accepit illum in suis sacris manibus totum consumptum & madidum; [attactu mundum reddit:] de cuius immediate contractu liber ille totus mundus & pulcher effectus est & illæsus omnino, præter quamdam tracturam, quæ remansit in latere libri pro signo tanti miraculi memoriæ commendandi.

[120] Altera similiter vice quidam Frater pro necessitate sibi referebat aquam in vno fictili vasculo, cuius longitudo fenestrellæ, [accipit vasculum aquæ per fenestram diuinitus diminutum.] per quam intromittendum erat, excedebat quantitatem, nec ab aliquo latere poterat aliquatenus inclinari. Mirum certe! mox vasculum illud fenestræ applicatum, taliter fenestre proportionatum & abbreviatum reperit, quod vix festuca straminis inter ipsam & vas locari potuisset.

Annotata

Boticella parua capsula aut pyxis aut vasculum vulgari Gallico bouteille, a voce Gallica boite: bota, cista.

S. Gregorius lib. 1 Dialogorum cap. 7 refert illud miraculum de S. Donato Episcopo Aretino: cui 7 dies Augusti sacer est.

CAPVT XIV.

De grauibus pœnis atque tormentis per ipsam patientissime toleratis.

[121] Quoniam, vt ait Apostolorum Princeps, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, constat quod nihil in præsentī vita reperiri potest Deo placabilius, nec creaturæ salubrius, quam pro eius amore libenter pati, sustinereque patienter pœnas atque tormenta. [1 Pet. 2. 21.] Per hoc enim summe redditur cum suis veris amicis similis & conformis. [Exemplo Christi] Ipse enim Deus & Saluator Iesus Christus, per totum vitæ spatium vsque ad mortem inclusive, pœnas graues & labores sustinere voluit pro nostra dilectione. Per quam quidem tolerantiam eius humilis ancilla, iuxta suæ capacitatis modulum, non parum eidem esse meruit similis & conformis. Nam per totum vitæ suæ decursum graues pœnas continuas sibi que mutuo subsequentes, [tota vita patienter fert graues pœnas,] & multoties duplicatas patientissime sustinebat. Præter varias autem pœnas, quas illi Deus frequenter infligebat (quasi enim continuo patiebatur) vnā sibi pro quodam exercitio contulit cum augmento virtutum, videlicet inflaturam continuo incessanter crescentem vel decrescentem, ipsam non mediocriter aggrauantem: quam tamen patienter & valde dulciter tolerabat. [inflaturam continuam,] Præter istam vero continuam infirmitatem alias multipliciter vexabatur seu affligebatur: & hoc erat interdum in corpore tantum; interdum vero in anima, & interdum simul in ambobus,

anxiebatuꝛ grauissimis pœnis. Infirmittates autem, [infirmittates corporis & animæ:] quæ proueniebant ex caussis & principiis naturalibus, patienter & benigne ferebat: sed illas, quæ præter naturæ cursum a Deo sibi specialiter immittebantur, iuxta suum beneplacitum astringebatur necessario sustinere, nec erat in eius arbitrio rem aliter se habere. Cum illa siquidem infirmitate communi quasi continue laborabat aliqua alia particulari, qua sic aliquoties aspere diuque molestabatur, quod vix in octo dierum spatio per vnam horam integram respirare valebat.

[122] Et erat eius consuetudo mirabilis & compassione digna, quia locis & temporibus, in quibus ceteri recreantur & quiescunt, ipsa per oppositum augebatur labore siue pœnalitate. Nam in lecto, vbi cuncti modi gentium, infirmi siue sani, communiter requiescunt, ipsa validius affligebatur. [maxime in lecto,] Licet enim propter diurnos labores aliquoties optaret cubiculi nocturnam requiem, numquam tamen ibidem requiem vllam inuenire potuit: quin imo statim post ingressum strati siue lectuli, nouis agitabatur laboribus, & dolorosis cruciabatur angustiis, per totam noctem durantibus vsque mane, & interdum vsque ad meridiem inclusiuè & incessanter. Nec solum talis anxietas inerat illi semel aut bis in hebdomada, sed in omnibus noctibus nulla dempta. Pariformiter in diebus Dominicis & festiuis & in magnis solennitatibus, [& diebus Dominicis & festis solemnioribus:] in quibus omnes status, virorum & mulierum, secularium & regularium, licet occupentur in spiritualibus, requiescunt tamen a laboribus corporalibus, incomparabiliter ipsa maiora pœnarum grauamina sufferebat, quam in ceteris ferialibus diebus. Et quanto dies erant solenniores, tanto plus erant pœnæ grauiores: quæ communiter incipiebant pro Dominica in hora vespertina Sabbati, & durabant vsque post Completorium Domini diei, & aliquoties vsque ad Matutinum diei

sequentis. Et similiter in festiuitatibus pœnæ speciales incipiebant in Vesperis Vigiliæ, & terminabantur post Completorium earumdem festiuitatum: sed in magnis solennitatibus, vtpote Natiuitate Domini, Resurrectione eiusdem, & Pentecoste, & aliis similibus per totum annum, initium dictarum pœnarum erat in meridie Vigiliarum, & prolongabantur vsque ad finem dictarum solennitatum, & erant asperiores & plus dolorosæ ceteris, quanto festiuitates erant solenniores: & sic augebantur intensiue & extensiue, sicut solennitates.

[123] Quando vero, præter iam dictas vexationes, & pœnas, Altissimo complacebat aliquas superaddere, multo plus excessiuas & magis aggrauantes ceteris, quas necessario cogebatur sufferre, quod & actu faciebat; si superueniebat aliqua persona, cui non licebat eius negare præsentiam, [alloquens alias personas, non sentit dolores, sed postea patitur duplicatos,] cum deliberabat se præsentare vel loqui talibus, mox terminabantur prælibati dolores, & cessabant omnino durantibus verbis, nec pro tunc sentiebat aliquod grauamen, sed non propter hoc minuebatur laborum tolerantia. Nam statim post recessum talium personarum augebatur prædictus dolor in duplum vel plus pro tanto temporis spatio, pro quanto cessauerat ex causa iam dicta. Et tunc ita vehementer torquebatur tanta pœnalitate, quod sæpissime per os sanguinem euomebat: propter quod merito personæ prædictæ si factum & conditionem eius sciissent, sibi compati debuissent. Et est sciendum pro maiori testificatione de hoc, quod dictæ pœnæ non essent naturales, [& supra naturam habitos,] nec a causis naturalibus aut humanis, sed potius supernaturaliter aut diuinitus inflictæ, pro tanto quia subito semper inchoabantur & etiam in instanti terminabantur. Et insuper compensata debilitate suæ personæ cum grauitate pœnarum, si naturales essent, impossibile videtur, quod ita raptim & in instanti

cessarent omnino, sic quod nihil de illis remaneret penitus; [& a Deo inflictos:] in signum evidentissimum diuinæ virtutis, dolorem infligentis ad exercitium, & patientiam conferentis ad meritum, & subito curam perfectam adiicientis ad consolationem & remedium, nec reliquentis alicuius languoris, mortis vel infirmitatis vestigium, acsi numquam aliquid mali sensisset. Quapropter aliquando dicebat: [sentit se sæpe plane liberam,] Ignoro me quidquam mali pertulisse, quamuis paullo ante tota curua seu inclinata fuisset ex violentia dolorum, & eiusdem lingua penitus perforata: caput autem suum quædam olla feruens super ignem accensum esse videbatur: sed mox dolore cessante, plene rectificabatur cum integra lingua, capite temperato, cum ceteris membris. Et mirabile certe, [dein subito vexari summo calore vel frigore:] nam si quouis afficeretur calore, tantum incendebatur, quod per totam aquam seu rem aliam quantumcumque frigidam, nullatenus poterat refrigerari. Si vero frigesceret, ita frigus similiter erat intensum; quod per omnes mundi calores non poterat incendi seu calefieri.

[124] Quid plura? Nam si persona quæcumque reperiri potuit in præsentis valle miseræ, per tolerantiam horribilium pœnarum & grauium tormentorum imitatrix vera fuisse Domini nostri Iesu Christi, tamquam ei certe similis & conformis; de hac inter ceteras (saluo præiudicio) potest affirmari. Prout namque percepi præclara fide dignorum & in talibus expertorum testimonio, cuncta sanctorum Martyrum tormenta crudelia, [Martyrum dolores & cruciatus in corpore suo patitur,] quæ singuli singillatim in suis corporibus pro Christo portauerunt, ipsa sola pertulit simul & successiue: quorum anxietatem & dolorem augebat in ipsa longæua moræ protractio: quia ceterorum duratio tormentorum vix portendebatur ultra decem vel saltem viginti aut triginta, siue ad plus quadraginta annorum spatium, sed hæc talia

plusquam per quinquaginta continuos annos viriliter toleravit. Cuius rei gratia Patribus suis Confessoribus in prædictis expertis sic attestabatur: Gloriosis Martyribus, qui in regno Dei possident gloriam immensam, contulit Altissimus gratiam, & bonum forum: nam breuissimo tempore tosti vel bulliti, seu capitibus amputatis, aut iis similibus ad cælos migrauerunt. [saltem virtute iis æquales,] Et erat quiddam valde mirabile, cum nulla pertransiret hebdomada in qua non experiretur vnum vel duo martyria veraciter in seipsam, [vt igni S. Laurentij,] videlicet, quod aliquando torquebatur in igne, sicut S. Laurentius. Et licet ignis non esset ibi realiter & formaliter quoad substantiam, erat tamen ibi diuina dispensatione virtualiter, quantum ad operationem & efficaciam. Sicut enim caussa primaria, quæ Deus est, suam cooperationem subtrahente, ignis, qui est caussa secundaria, sua priuatur operatiua virtute; sicut patet in tribus pueris in medio flammaram minime læsis: sic primaria supplet vicem secundariæ. Per se ergo potest, quidquid illa poterat mediante: & illud martyrrium communiter per spatium vnus integre, noctis protendebatur. Interdum vero torquebatur velut S. Vincentius, [tormentis SS. Vincentij, Bartholomæi &c.] aliquando vero crucifigebatur, aliquando autem excoriabatur vt S. Bartholomeus, aliquoties minutatim confricabatur, nonnumquam vero bulliebatur. Nihilominus interdum sibi videbatur, quod cor eius aperiretur, & consequenter sale perfusum recluderetur. Aliquando sibi videbatur, & sensibiliter experiebatur, quod infra ventrem haberet titionem ardentem, ipsam totaliter incedentem: altera vice quod in oculorum radicibus haberet carbonem ignitum illos inflammantem, & penitus consumentem: alias autem quod ferramentis acutissimis, per medium totius corporis & omnium membrorum de extremo in extremum transpungeretur.

[125] Et similiter de ceteris atrocissimis tormentis, quibus gloriosi Martyres exanimati fuerunt singillatim & singulariter, ipsa coniunctim & vniuersaliter, [aut etiam maiores, ob solatium subtractum:] aut successive torquebatur; etsi non ab exteriori persecutore manualiter illatis, a Deo tamen mirabiliter intromissis & inflictis, & ab eadem experimentaliter & realiter toleratis; & interdum vehementius & asperius in ea quam in ceteris: pro tanto, quia sine dulcore & refrigerio, quod sanctis Martyribus præfatis a Deo vel a sanctis Angelis conferebatur in eisdem pœnis; sibi vero non: dempto solum, quod in infinitis pœnis seu doloribus prælibatis (cum nocturnæ quietis occasione recedentibus Sororibus, [Angelos sibi ministrantes accipit:] quæ communiter seu familiariter eam visitare seu frequentare consueuerant, re manebat ab omnibus sequestrata) tunc cælestes Angeli visitabant illam dulciter administrantes sibi, cooperientes & adiuuantes eam, & obsequia reliqua conferentes, quæ serui fideles exhibere possunt ancillæ vel sponsæ summi Regis.

[126] Et vltra præter iam dicta patiebatur in singulis membris singula grauamina vel singulares passiones consequenter per ordinem. Inter quæ principaliter in oculis suis pulcherrimis & placabilibus quandam experiebatur infirmitatem, [gravi oculorum dolore torquetur:] quam arbitrabatur naturaliter euenisse: propter quod providere disposuit pro remedio opportuno per adiectionem medicaminum tantæ viuacitatis & asperitatis, quod nedum ad quamlibet humanam virtutem visiuam delicatam penitus extinguendam, sed etiam ad rudem asininam & equinam sufficere possent. Et idcirco providebat specialiter magis oculis quam ceteris sensibus aut membris, quia malebat vsum ceterorum amittere membrorum, [medicina adhibet, vt sacram hostiam intueri,] quam visum oculorum, quo valeret intueri pretiosissimum Corpus Christi in altaris Sacramento, &

etiam sacras litteras in libris pro diuino seruitio deuotius peragendo. Nec propter dictam prouisionem cessabat ex toto labor & vexatio suorum oculorum, [& libros sacros legere possit:] quin imo sic affligebatur in eisdem incurabiliter, permittente Deo, quod vbicumque respiceret, ex utroque latere sibi pendere videbantur duæ relucentes amphorellæ, vel duæ paruæ stellæ, quæ quocumque se verteret & illæ similiter vertebantur, non tamen sine magna vexatione sui: nec propter hoc omittebat quidquam de suis orationibus, nec respicere libros ex hoc pertimescebat.

[127] Et vltra hoc maxima sibi pœnarum adiecta fuit: semel enim accedens ad visitandum vnum de suis conuentibus, propter graues pœnas, quas sustulerat, sic videbatur eius lingua retrahi; [lingua ad guttur retracta, manet quasi muta:] quod ex toto descenderat ad medium gutturis, intantum quod nullatenus orare vel loqui vocaliter poterat, sed neque nisi vix respirare valebat. Cumque graui languore sic actualiter angeretur, occurrit sibi quædam iuuenis & dulcissima filia, pulchritudine spectabilis, & præclaræ benignitatis, lætanter salutans humilem ancillam Christi, & tandem eidem sic appropinquans familiariter quod amplexibus præmissis eam dulciter osculata est. [sanatur osculo cuiusdam puellæ, dein euanescentis,] Propter quod osculum infirma lingua pure sanata est, & ad locum proprium, vnde descenderat, plene restituta: & mox prædicta iuencula tantæ pulchritudinis, dulcedinis & benignitatis euanuit: de qua testificabatur supra nominatus Pater, eiusdem ancillæ Christi Confessor, [creditæ Deipara Virginis.] Frater Henricus de Balma, sibi conscius familiaris & secretus, quia hæc erat gloriosissima Virgo Maria.

Annotata

Id est, indulsit gratiose vt exiguo pretio emerent, quod Franci dicunt a bon marche, Itali bon mercato.

Diminutiuum ab amphora Francico idiotismo formatum pro bulla.

CAPVT XV.

De dono prophetiæ cum plena lucidaque cognitione sibi mirabiliter a Deo collatis.

[128] Ivxta prælibatam Domini Saluatoris sententiam alta mysteria, secreta diuinaque, pluries latent sapientes huius seculi, & a mundanis prudentibus absconduntur; reuelantur autem simplicibus & paruulis, ac manifestantur seruulis humilibus Iesu Christi. Quapropter hæc eius ancilla Coleta simplex erat & ignara satis respectu mundanorum; sed valde sagax & discreta, peritaque nimium in notitia supernorum. Modica vel fere nulla vigebat doctrina, [Scientia supernaturali prædita,] quæ foret humanitus acquisita; sed superabundabat scientia supernaturaliter & diuinitus infusa, quæ præcellens esse dignoscitur Spiritus sancti gratia: qua radiante, clarissime cognoscebat occulta præterita, similiter & secreta præsentia, nec non & futura contingentia. Pro cuius certificatione maiori notandum, quod quidam Religiosus extitit Ordinis S. Francisci sacræ Paginæ Professor, solenniter litteratus & Parisiis a magistratus: qui pro deuotione multum afficiebatur ad eam a principio reformationis Ordinis S. Claræ, quam per eius manus dignabatur operari clementia Saluatoris: cui accidit grauis & lætalis infirmitas eo tempore, [accedit ad agrum & anima & corpore,] quo dicta Mater disposuerat nonnullos de suis conuentibus visitare, transeundo prope locum, in quo prænominatus Magister iacebat infirmus. Quæ præsentiens in suo spiritu talem infirmitatem esse periculosam, nedum ad mortem primam, quin etiam ad secundam; pro benigno succursu fauorabiliter in tantæ

sibi casu necessitatis impertiendo, decreuit intrare conuentum illum, & visitare dictum ægrotantem sua venerabili præsentia: quem in faucibus mortis reperit, plantis iam frigidis tamquam exanimatum, & prout ipse postmodum retulit, [munit signo Crucis, & adhortatur:] in via perditionis. Et vocans illum nomine proprio, & facto signo Crucis humiliter & reuerenter super eum, ait: Resumite bonum cor, firmiter sperans in infinita bonitate diuina: cum aliquibus aliis breuibus exhortationibus & statim recessit. Et dictus infirmus intellexit attente verba, pleneque cognouit eam, & per Dei gratiam remansit multum confortatus, & per sua merita postmodum satis cito surrexit sanus & sospes de prima infirmitate, [liberat primo ab infirmitate corporis,] cognoscens acceptum beneficium: & deprecans antidotum de secunda nihilominus ægritudine, videlicet spirituali, peruenit ad eius præsentiam, gratanter offerens se permansurum in eius seruitio per totum vitæ suæ spatium, quam per eius medium obtinere se dicebat. [admittit ad suum obsequium:] Cui oblationi ipsa libenter condescendebat, non pro seruitio, quod ab illo speraret, sed pro sola spe salutis animæ dicti Fratris, quam ipsa feruenter optabat, & qua non minus ipse penitus indigebat. Et ad hoc obtinendum illum dulciter exhortabatur ad integre pureque confitendum pro sua plena conscientie purificatione, nihil omnino celando vel retinendo, & ad hoc sibi Confessorem idoneum & consolabilem assignauit. [mittit ad Confessorē:] Cui confessus aliquo modo, ex obliuione seu ex verecundia reticuit aliqua de peioribus peccatis & celauit: & tandem reuertens ad ipsam, asseruit se penitus & integre confessum fuisse. [indicat graua peccata celata] Cui respondit ipsa, dicens, quod non sic erat, & recitauit ei plura grandia peccata commissa retroactis temporibus, & nullatenus confessa. Vnde & nec immerito valde miratus est, rei veritatem agnoscens, quam sibi soli post Deum notam arbitrabatur esse. Et reuersus ad Sacramentum Confessionis, & reueniens ad

eius præsentiam, [quod iterato facit:] asserebat se plene confessum: quod illa negavit, explicans ei aliqua non minus enormia ceteris, quibus adhuc remanserat irretitus. Sicque trina vice misit illum ad dictum Sacramentum, priusquam integraliter esset liberatus. [agnoscitur conseruasse corpus & animam:] Propter quod exinde cognouit, & asserebat publice, quod per eius medium, corporis & animæ vitam obtinebat, valde crescens in eius affectionem & amorem, & nihilominus in tantum timorem & dubitationem circa eam, quod nihil faciebat, nec dicebat, siue cogitabat, [timetur vt omnia intuens:] quin semper existimater, ipsam esse præsentem & omnia videre.

[129] Vice quadam duo nobilissimi præpotentesque Principes, prætextu caritatis & deuotionis, visitauerunt ancillam Domini nostri Iesu Christi: [duobus Principibus dat & curat legi monita salutis:] quibus illa post multa dogmata per patrem suum Confessorem legi fecit in eorum præsentia nonnullas notabiles scripturas: quibus minus attendens vnus illorum, cor suum applicuit quibusdam inhonestis & carnalibus meditationibus, inania cogitando, licet exterius nihil de iis ostenderet quouismodo: sed dictæ turpi cogitationi superaddens, accumulare iam incipiebat delectationem damnabilem, in eadem materia perseuerans. Et tunc ancilla Christi illa cognoscens, vertit faciem suam venerabilem ad Principem illum, emittens clamorem vehementissimum cum voce mirabili super illum: [alteri indicat turpes cogitationes,] qui quidem clamor sic cor illius Principis valde penetrauit, quod sibi videbatur, & adhuc videtur, quod ipsa videret & clare cognosceret, quidquid ipse gerebat in corde, meditationes videlicet & turpes cogitationes, æque bene sicut ipsemet vel melius: quibus incontinenti renuntiauit exterius expellens eas omnimode meritis ancillæ Christi, [& emendat:] reducens intellectum

suum ad percipiendum attente sacra verba, quæ recitabantur.

[130] Item alia vice quidam alius notabilis Prælatuſ, vir prudens & discretus, Episcopus ciuitatis Caſtrenſis in patria Albiensi, descendens in eamdem ciuitatem, ex humilitate visitauit dictam ancillam Christi, [Episcopo indicat prætenſionem animi ad alteriorem gradum,] quæ pro tunc ibidem moram trahebat, cum illa simul conferens de multis bonis, honorem Dei tangentibus & salutem animarum. Quem finaliter ipsa de duobus in eo præcognitis veraciter instruendo, ipsum tetigit. Primum, quod ipse non contentabatur de sibi collato beneficio, sed anhelabat ad maius & altius in dignitate, & quod attenderet diligenter & sagaciter, ne pro transitoriis dignitatibus amitteret dignitatem æternam. Secundum extitit de breuitate vitæ suæ, [& mortem breui imminentem:] suadendo quod semper esset paratus & præsto quandocumque Dei beneplacitum esset illum vocare. De primo valde miratus est pro manifestatione, quia secrete laborabat vt fieret Cardinalis: & quod ipse clam apud se tenebat, Spiritus sanctus illi palam esse monstrabat. Et post paullulum iter arripuit ad curiam Romanam, intendens propositum optatum adimpleri, sed in breui præuentus, finiuit dies suos iuxta Matris præcognitionem.

[131] Item vice quadam inter alios, Princeps quidam nobilissimus & potentissimus Comes Marchiæ, ad eamdem ancillam Christi gerens singularem amorem & deuotionem, misit ad visitandum eam quemdam Sacerdotem suum, [Sacerdotem vt confiteatur monet ob imminens periculum:] nominatum Dominum Ioannem de Molis: qui quidem Sacerdos antequam ab eius præsentia recederet, præmonitus extitit ab ea, quatenus fideliter & sincere confiteretur & disponderet conscientiam ad securitatem animæ, potissimum in periculis euenturis sibi

in breui, videlicet in propinquo regressu sequenti. Quo peracto, post eius decessum a præsentia dictæ ancillæ infra tres vel quatuor dies, ad vnam leucam & semis a ciuitate Autissiodorensi, obuiauere ei crudeles & terribiles homines armorum, qui perforarunt sibi sinistrum latus cum vna lancea, caputque sauciauerunt, sic eum crudeliter vulnerantes diuersis ictibus ensium, [grauiter vulneratum,] quod nec barbitonsores, nec chirurgi præfatæ ciuitatis, ad quam fuerat delatus, mittere manus in eum penitus audebant: sed omnino iudicabant impossibile fore, quod vnquam sanaretur. Qui tunc se videns adstrictum in tam discriminosa necessitate, [precibus petitis sanat:] recurrere dignum duxit ad refugium ancillæ Christi, se recommittens humiliter eius sanctis orationibus & precibus deuotis. Quo facto, constanter & secure dixit præfatis chirurgis quod indubitanter apponerent manus. Et intra quadraginta dierum spatium meritis & intercessionibus ancillæ Christi prædictæ restitutus extitit integræ sospitati.

[132] In ciuitate bisuntinensi vir quidam nobilis nominatus Ioannes de Colonia, burgensis & ciuis eiusdem ciuitatis, [mercatori prospere valenti,] & mercator honorabilis & famosus ac feruidæ caritatis, qui arbitrabatur se fore sospitem & in tanta prosperitate, sicut vnquam fuerat; de gloriosa Matre præsciuit breuitatem vitæ finisque propinquitatem; & illo dulciter & amicabiliter vocato, post salutare admonitiones inter cetera specialiter dixit de securitate suæ conscientiæ ac de certitudine mortis, [prædicat mortem imminetentem:] animans ipsum finaliter ad præparandam conscientiam, & ad ordinandum de bonis suis finaliter & discrete. Quo prompte consentiente, nec non & consensum debitæ exercitationi demandante, postposita quacumque retardatione, lecto decubans, incontinenti grauatus infirmitate, iuxta prognosticationem Matris diem clausit extremum.

[133] Pariformiter in partibus Burgundiæ quidam fuit nobilis & potens Dominus, graduatus in scientia, nec non in iustitia commendatus: qui cum pluribus suis attinentibus, de factis ancillæ Christi præclaram notitiam habuerunt, & amorem singularem magnamque confidentiam ad eam in suis negotijs gerentes, [alterius mortem imminemem procul absens cognoscit,] plurima sibi subsidia, similiter & solamina varia caritative præstiterunt. Qui Dominus arbitrans se fore sospitem & incolumen corpore, parum de Deo solicitabatur. Et cum ipsa moraretur in quadam regione longinqua, plenius innotuit sibi de breuitate vitæ dicti Domini, cum aliquibus impedimentis periculosus coram Deo, quæ in eius conscientia latitare cognouit. Pro quibus abdicandis ipsa destinavit ad eum aliquos de suis Religiosis, [& missis Religiosis præmonet:] secretam credentiam deferentes, & rei veritatem intimantes. Quibus ille fidem adhibuit, dictis impedimentis providens de remedio salutari, sicque monitus vtili consilio, diem clausit extremum.

[134] Alio quoque tempore quædam notabilis burgensis de ciuitate Cabilonensi super Sagonam, familiariter sibi nota, [nobili fæminæ suadet confiteri peccata,] præ deuotione visitauit eam in conuentu suo de Poligniaco. Cuius ipsa præcognoscens propinquum decessum, pro maiori securitate conscientiæ dictæ Dominæ, præmonuit illam ibidem plene confiteri. Quo peracto, recedens ab ancilla Christi, [præuidens eius obitum:] se recommisit humiliter eidem tam in vita quam in morte. Regressaque mox ad ciuitatem prædictam, infirmitate grauata, iuxta Matris præcognitionem vitam terminabat.

[135] Æque nempe clare cognoscebat in absentia sua peracta, velut præsentia visa vel experta; maxime quando pro bono aliquo scire talia peroptauit. Semel enim quidam ex suis Fratribus pro nonnullis eiusdem expeditionibus accesserat Romam, [Religioso suo Romæ

secrete peracta indicat:] vbi tractavit & peregit aliqua secreta, quæ soli Deo sibi que credebat esse nota, sperans tamen bene facere: verumtamen incontinenti post regressum ad eius præsentiam totum sibi retulit, quod fecerat & totalem modum dicens ei: Quare sic & sic tale quid fecistis? Vnde prædictus Frater multum verecundus certissime cognovit, quod nil poterat ab ea penitus celari.

[136] De regimine vero suorum monasteriorum vel conventuum cum sibi videbatur fore congruum aliquid specialiter scire, de illis æque faciliter certificabatur de longinquis & multum distantibus, sicut de illis, in quibus residebat. Defectus ibidem commissos intimabat secrete personis deficientibus vel publice visitantibus, vt de remedio videretur opportuno. Vnde mirabile valde, numquam aliquod inconueniens accidere debuit in aliquo dictorum conventuum, [cognoscit euentura in suis conventibus:] quin ipsa aliquid præsentiret; licet non specialiter sciret quid vel quale vel vbi esset venturum. Quapropter habita præcognitione iam dicta, non parum tristabatur, sed dolebat in corde nimium, & idcirco postquam ille casus euenerat, eius dolor & tristitia mitigabatur. Multæ gentes, tam magni status quam exigui, pluries ad eam accesserunt, tum ex deuotione, tum pro consilijs salutaribus obtinendis, tum etiam pro perfectis adhortationibus reportandis: de quibus omnibus, pro maiori parte saltem illorum, [& causas se visitantium,] qui veniebant causa proficiendi, priusquam ingrederentur oratorium suum, notum erat sibi qui erant & quid quærebant, & quæ vel qualis responsio esset illis reddenda. Insuper Patres eius Confessores & Fratres plene certificati de limpida cognitione diuinitus & mirabiliter sibi collata, [defectus suorum, etiam Confessariorum,] tantum illam timebant, vbicumque forent & quantumcumque distantes, sicut in eius præsentia personaliter constituti: pro tanto quia si

committerent aliquid reprehensione dignum, statim, postquam peruenerant ad eius præsentiam, dulciter & benigne demonstrabat eisdem. [interiores desolationes Sororum,] Item pluries quando Sorores in corde sustinebant aliquam secretam desolationem, vocabat eas ad se; dulciter tangens eisdem aliquid de materia vel caussa, propter quam sic erant desolatæ; benigne confortans illas super eadem materia siue caussa. Quamobrem clarius experiebantur ipsam certam habere notitiam de secretis cordium & meditationibus illarum: quadam enim vice vna nouitia tentabatur in corde suo de recessu extra monasterium, [tentationem nouitiæ contra vocationem,] nec audebat alicui pandere suam voluntatem: quam Mater ad se vocari fecit, patefaciens illi quod cogitauerat & ipsa præcognouerat, intantum quod prædicta nouitia, statim recognouit culpam suam coram Deo pariter & coram Matre. Et exinde concepit grandem deuotionem, & decreuit omnino profiteri Religionem.

[137] [periculum desperationis cuiusdam Religiosæ,] Altera vice, Religiosa quædam secum residens in eodem conuentu, summe desolabatur ex grauamine conscientiæ, fere casura penitus in desperationem. At ancilla Christi cognouit in spiritu suo, vocauitque illam & tam dulciter allocuta fuit, vtiliter & viuaciter illi demonstrando periculum suæ tentationis, & inducens eam ad fortitudinem & constantiam contra præfatam tentationem, sic quod numquam de post incidit in illam, neque fuit recordata præ maxima dulcedine & caritate sibi exhibita per eam, quantum esset in spiritu consolata. Item iterum hostis infernalis procurauit diuisionem & discordiam inter duas Religiosas, [discordiam inter duas Religiosas,] quam vtraque seruabat in corde suo, nec exterius manifestabat: quas ambas Mater singulatim vocatas tam pulchriter admonuit, quod illæ plene pacificatæ clare perceperunt ipsam Matrem habuisse notitiam eiusdem cuiuslibet

illarum: vnde valde perterritæ, de cetero conceperunt erga ipsam magnum timorem. Item alias ipsa persistente cum ceteris Sororibus in choro in extremo alterius chori, [distractiones in oratione variarum:] quædam Religiosa tempore diuini Officij vagis occupabatur & alienis meditationibus. Quod cognoscens ancilla Christi, per quamdam aliam Religiosam sibi mandauit, quod cessaret vsque post Officium: quæ correctâ decreuit postponere quascumque tales cogitationes. Insuper alia vice in quodam de suis conuentibus ipsa præsentem in Officio Dei, quædam Soror tenens sibi librum, meditabatur in malis rebus & vanis: quæ cognoscens ancilla Christi clare, pluries innuit illi, quatenus a talibus cessaret meditationibus. Quod illa non percipiente, reiecit eam post tergum, auferens sibi librum satis rude. Quare aduertens Soror illa, quod Mater videbat & cognoscebat quidquid ipsa cogitabat, cæpit in corde suo cogitare de Deo: tunc autem ancilla Saluatoris ad illam se conuertens, benigne subridendo restituit ei librum.

[138] Aliquoties multi Clerici & in Theologia Magistri, [soluti sublimes Theologicas quæstiones:] pariter & alij sapientes mundani, plures ab ea difficiles quæstiones sciscitabantur, & de subtilibus materijs. De quibus, licet inuita propter humilitatem, nihilominus tamen quando sentiebat in spiritu rem non fieri per curiositatem, sic profunde respondebat & clare dilucidabat, quod omnes admirabantur & magis ædificabantur, asserentes quod alta mysteria secretaque diuina a Spiritu sancto sibi reuelabantur.

[139] Item in illis diebus, in quibus prægrande videbatur dissidium in regno Franciæ, duabus partibus ad inuicem e regione congregatis cum armata militia, velut castrorum acies ordinatæ parabantur ad ingressum duelli; [conflictum præuidens perniciosum] præcognouit ancilla Christi, conflictum futurum ex vtroque latere fore

perniciosum ad mortem, & per maximam effusionem sanguinis, & obnoxium, quod peius erat, ad multarum perpetuam damnationem animarum. Vnde concepit in corde grandem tristitiam & dolorem: propter quod recommendans Deo humiliter totum factum, cum inundantia lacrymarum dedit operam, mittendo litteras principalibus Rectoribus vtriusque partis exhortatorias ne bellum attentarent, & consequenter ad utrosque misit aliquos de suis Fratibus, [precibus, litteris, & missis Religiosis impedit:] declarando pericula tam corporum quam animarum exinde proventura. Quibus exhortationibus & declarationibus salutaribus decretum interceptum fuit & interruptum, & sic euaserunt periculum perditionis corporum.

[140] Alia vice præcognouit futurum esse quoddam discriminatum ignis incendium in quadam villa, in qua erat Sororum suarum conuentus: [præcognoscit ingens incendium:] quibus significauit, quod essent diligentes, & bene custodirent ignem. Statimque euenit illud horrendum & damnosum incendium sic appropinquans dicto conuentui, quod Religiosæ valde timuerunt comburi: sed meritis ancillæ Christi præseruatæ fuerunt.

[141] Alius quidam præpotens & magnus Dominus afficiebatur deuote prænominatæ Matri, cupiens sibi ædificare conuentum in terra seu in dominio suo: propter quod misit ad eam virum quemdam Ecclesiasticum, pro manifestando sibi votum suum, [conuentus ædificandi consensu dato,] & etiam captando eius beneuolum assensum: quod & obtinuit propter diuinum amorem, & eiusdem Domini reuerentiam. Sed mox illa die peracta, præcognouit aliud magnum inconueniens euenturum esse in eodem territorio siue dominio, sed specialiter in villa, in qua scilicet dictus conuentus ædificari debebat. Quapropter misit ad prædictum Dominum, rogans & requires ipsum, [differt extructionem, præuidens

deuastationem:] quatenus aliquantulum sibi differre placeret ædificationem prædictam. Et post paullulum tota patria repleta fuit hominibus armatis, innumera mala committentibus: inter quæ villam præfatam, in qua conuentus ædificari debebat, penitus destuxerunt.

[142] Item in principio constructionis conuentus de Poliniaco, nouitia quædam ibidem infirmabatur ad mortem, propter quod ancilla Christi præcepit cuidam ex Sororibus, quatenus sic diligentem curam adhiberet circa illam, [cupit aduocari ad nouitiam in articulo mortis:] ne sola moreretur, & quod vocaret eam in decessu nouitiæ prælibatæ, cui volebat penitus interesse. Et post hoc tandem accidit, quod Soror illa custodiens nouitiam infirmam propter grauamen laboris seu propter negligentiam aliquantulum obdormiuit, & in hoc interuallo decessit infirma nouitia: de quo decessu ancilla Christi fuit multum desolata, pro eo quod non fuerat præsens dicto decessui, iuxta desiderium cordis sui. Idcirco Sororem illam, quæ negligens extiterat, de significando sibi iuxta præceptum ab ea sibi datum, redarguens, præcognouit & prædixit ei finalem terminum suum sibi propinquum, [negligenti aduocare prædicit mortem propinquam & similem:] ita dicens: Quia transgredi præsumpsisti mandatum, quod iniunxeram tibi, certum tibi sit, quod sola morieris & nulla præsentem. Et post paullulum tempus accidit ei prægrandis infirmitas, in qua loquelam amisit per spatium sex horarum, nec de ipsa sperabatur amplius posse loqui, [vt extrema Sacramenta suscipiat, impetrat ei vsum sensuum:] nec adhuc receperat Ecclesiastica Sacramenta. Tunc ancilla Christi more solito visitauit eam, cui sic dispositæ pie compassa, recurrit ad sacrum orationis sacrificium, obsecrans deuotissime diuinam misericordiam, quatenus sibi dignaretur restituere loquelam, qua mediante recipere posset sanctissima Sacramenta. Mox autem oratione finita, subito locuta est & plene confessa, & deuote

recepit omnia Sacramenta: licet propheta Matris non fuerit euacuata, quia tandem, nulla præsente, sola vitam finiuit.

[143] Semel existens in monasterio de Viniaco præcognouit certitudinaliter finalem terminum vitæ cuiusdam nobilis & deuotæ Domicellæ, [præcognoscit quamdam Matronam breui morituram:] residentis in villa Poliniaci, quæ vocabatur Ioanna de Vannato, & credebatur esse sospes in plena prosperitate. Et significauit ei Mater, quod libenter vidisset eam, & quod numquam ex hoc in hoc seculo foret eam visura, nec sibi locutura. Quod sic euenit: nam breuiter post hoc infirmitatem incurrit, vnde mortua est.

[144] Semel alia vice, quidam honestus Religiosus, de numero Fratrum deputatorum ad subsidium sanctæ paupertatis in conuentibus eiusdem ancillæ, Presbyter, qui pro negotijs Religionis ad longinquam accesserat regionem; [cognoscit Presbyterum in remotis partibus morti vicinum, non posse Viaticum accipere,] ex quo transire cogebatur necessario per patriam, in qua pestis aspere vigebat: quapropter infectus, velociter subripiabatur ad mortem, priusquam posset accipere Viaticum Sacramentum cum debita dispositione. Et tunc ancilla Christi præcognouit veritatem, quamuis ageret in remotis, & decreuit omnino fore succurrendum, potissimum in tanta necessitate: nam ante finalem exitum illius, ipsa vocato Confessore præparauit & disposuit conscientiam, & pro illo decedente recepit sanctissimum altaris Sacramentum, ne transiret absque munitione tanti solaminis contra periculosas insidias hostium malignorum cum illo stricto passu: quod, [quod ipsa pro eo accipit:] per Dei gratiam & ancillæ suæ digna merita, credi potest vtilissimum fuisse decedenti.

[145] Quidam alius Sacerdos Religiosus, qui multum vtiliter & caritative laborauerat in principio, [Sacerdoti a suo seruitio digresso,] cum ingressus fuisset in Religione, pro conuentibus eiusdem Matris gloriosæ; tandem suggestione diabolica permotus, absque licentia recessit. Accedens autem ad partes remotas, pro faciendo residentiam ibidem cum quibusdam alijs Religiosis; ibi parum proficiens cecidit in grauem & mortalem ægritudinem: quam præcognoscens ancilla Christi, licet ab eo localiter multum distans, recurrit ad orationis sanctæ subsidium, humiliter deprecans totis viribus Dominum, vt per suam pijssimam misericordiam compati dignaretur illius Fratris animæ pauperrimæ in tanta necessitate. [moribundo absens procurat contritionem.] Et incontinenti Religiosus ille concepit tantam contritionem, tristitiam & displicentiam de peccatis suis, & in speciali de seruitio præfato dictorum conuentuum, a quibus discesserat per suggestionem diabolicam deceptus (sicut per illos postmodum probatum extitit, qui præsentem erant) quod post eius decessum se præsentauit Matri prædictæ, [& a morte vidit sibi apparentem:] sicut ceteri de sua familia facere consueuerant, sicut tactum est super septimo Capitulo. Propter quam repræsentationem pie credendum est, quod precibus & meritis ancillæ Christi præfatae sit Frater ille reductus ad viam salutis æternæ. [num. 46]

[146] Ancilla vero Christi sæpissime dicta per donum Prophetiæ nouerat cogitatus & secreta cordium, nedum personarum sibi præsentium, verum etiam absentium: & interdum nouerat quando, quomodo, & qualiter dies suos terminare debebant. Vnde pluribus personis, secularibus & Religiosis, agentibus in remotis, iuxta sentimentum suorum negotiorum sibi notificatum a Deo, procurabat vel procurari faciebat solamen & adiutorium secundum condecentiam desolationis, aduersitatis, & contrarietatis ipsorum. Et etiam fines dierum multorum cognouit &

prædixit: & inter cetera quædam nobilis & potens Domina, [solicitam de matrimonio neptis præmonuit ante morituram:] magnam diligentiam de maritando neptem suam in altis honoribus & multis diuitijs faciebat, & cum hoc sibi videbatur, quod ageret nimis negligenter circa salutem animæ, & propter hoc expresse dixit eidem ancilla Christi præfata: Domina mea, vos magnam diligentiam adhibetis pro matrimonio generosæ neptis vestræ, verumtamen magis deberetis sollicite cogitare de vobis: & ita faciatis, quia numquam diebus vitæ vestræ videbitis eam matrimonio copulatam. Quod tandem extitit verificatum: quia priusquam neptis nuberet, fuit morte præuenta.

[147] [cognoscit de aliquibus, vtrum moriantur in statu gratiæ:] Qualiter autem seculares personæ vel Religiosæ deberent finire dies suos, an scilicet in odio vel amore Dei, sæpius præcognouit, & inter ceteros semel præsens in decessu cuiusdam personæ Religiosæ, quæ præ dolore mortis ansiabatur vehementer, inquit illi: Vade confidenter ad Dominum, & ne timeas. Quo dicto, mox fuit anima separata. At Mater confestim adstantibus ita dixit: Multa patietur, sed finaliter non priuabitur æterna felicitate.

[148] Quædam iuencula pulchræ representationis & dulcissimæ modestiæ, peroptime disposita secundum apparentiam pro Religione, venit ad ancillam Christi ad hoc vt susciperetur ad Religionem, supplicans & requirens hoc humiliter & devote: ad quod ipsa nullatenus voluit consentire prætextu cuiusdam signi secreti, [puellam rogatu aliorum inuita admittit nouitiam,] quod in illa cognoscebat. Cum vero Pater eiusdem & Confessor & plures alij videntes illam sic dispositam apparenter & ita decenter, rogarent prædictam Matrem instantissime, quod eam recipere vellet, ita respondit: Vos me cogitis per preces & rogamina vestra, quod ego recipiam eam:

verumtamen scitote, quia numquam in Religione recipietur ad Professionem. Quod consequenter extitit verificatum; nam anno primo completo suæ probationis, [præuidens non perventuram ad Professionem:] propter ignorantiam diuini Officij non potuit nec debuit admitti: sed in secundo tot & tantas incurrit tentationes & signanter de recessu, quod incidit in quamdam dementiam, penitus asserens, quod nullatenus observare posset talem Religionem. Et adinstar præuisionis seu prognosticationis ancillæ Christi peruenire non meruit ad Professionem, sed fuit eiecta penitus extra Religionem.

[149] Alia siquidem vice, nouitia quædam se tenebat in Missa prope dictam ancillam Christi, [cognoscit quamdam deuote exterius orare, vt pro tali habeatur:] cogitans in corde suo, instinctu permota diabolico, dicens orationes suas, quod Mater æstimaret de ipsa, quod esset bona pariter & deuota Filia. Ipsa vero Mater post Missam vocauit Magistram prædictæ nouitiæ, cui dixit: Arbitrabat quod hæc nouitia bona foret & deuota filia, sed ipsa nullam continet deuotionem: quibus auditis, dicta nouitia remansit tota verecunda, cognito quod Mater sciebat suam stultissimam cogitationem. Item Soror quædam altera vice grandi æstuabat desiderio postulandi quamdam imaginem a Matre sæpe dicta: cuius rei gratia peruenit ad eius præsentiam, sed præ verecundia non fuit ausa dicere quidquam iuxta desiderium suum. [alterius desiderium accipiendi imaginem:] Quod videns ancilla Christi, præcognouit totum eius optatum, & subridens ait illi: Vade, vade: post cuius recessum statim misit illi quamdam pulcherrimam imaginem, mandans illi quatenus mitteret matri suæ illam, sicut ipsa facere decreuerat & optabat.

[150] Altera vice prædicta Religiosa vehementem in corde suo portauerat desolationem, credens se fore nullo modo Deo gratam, nec aliquo modo posse saluari, sed

quod deberet damnari. Qua desolatione multum afflicta, decreuit accedere ad ancillam Christi; & si ostenderet sibi gratum vultum & signum amoris, apparebat sibi, [remedium adfert eidem admodum anxiae an in statu gratiae esset:] quod ipsa non esset in odium & indignationem Dei, & quod ipsa speraret de salute. Quae quidem cogitante praefata Sorore, Mater vocavit eam, & dulciter & amicabiliter locuta est illi, dicens: Se tantum illam diligere quantum aliquam Sororum, quae sit in tota Religione. Tandem in eius praesentia commendavit eam Matri Abbatissae conventus: asserens quod illa foret eius filia praedilecta. Propter quae praedicta Religiosa remansit consolata in Domino, existimans certitudinaliter, quod ancilla Christi plene cognosceret secreta cordium cum alijs forensibus & extraneis rebus.

[151] Quaedam Religiosa de suis conventibus pro certo intellexit, quod Christi ancilla cognosceret corda hominum, & secreta cogitationum rimaretur, [alteri intima secreta cordis revelat:] quod nondum credidit illa. Accidit de post, cum Christi ancilla loqueretur eidem Religiosae, ipsa ancilla propalavit ei, quod utique nouerat cogitationes eius, cum illa conferens & praecise tangens aliqua secreta valde, quae eius cordi fuerant infixae. Accidit alio tempore cum esset in alio conventu Soror Coleta, notificavit eidem Religiosae praetactae quaedam arcana, quae in conscientia sua recondidit ita secrete, vt Deo excepto & se, illa nulli in mundo constarent: super quo stupefacta Soror illa valde, atque in se taliter experta, cognouit nil penitus dictae Matri abscondi posse siue celari.

[152] In quorundam Dominorum potentum & magnatum terris & locis plurimis fama vel relatio incolis tædiosa divulgata fuit, & maxime huiusmodi noua principalibus amicis & officialibus dictorum Dominorum, tam etiam specialiter in spirituali & etiam in temporalis statu, non

sine ipsorum tædio relata fuere: [Dominum quemdam ab hostibus captum credentibus subditis,] videlicet quod Domini prædicti in manus inimicorum suorum inciderant, a quibus, vt aiebant procertissimo, tenti & captiuati fuerant & prædati, nec non vt se redimerent adstricti: vnde & merito, tota eorum patria mæsta erat & dolens. Accidit quod fortuito quidam de principalioribus officialibus & amicis vnus illorum Dominorum transitum facerent per quamdam villam, in qua pro tunc degebat in suo conuentu Christi ancilla Coleta, quam statim illi visitantes cum reuerentia, sed cum dolore omnia noua prædicta sibi indicauerunt: quapropter sæpe eorum Dominum, & totam illam patriam omni affectu cordialissime, quantum poterant, eidem recommiserunt. At ancilla Christi humilis præcernens eos compassiuo oculo tam tristes & exterritos, eos confortando, dixit: Domini mei, nolite fidem dare huiusmodi nouis: quia reuera non sic est, vt putatis. Responderunt illi: Nos scimus vtique ista fore vera, [indicat illum liberum certo loco esse.] & super inde a fide dignis personis & notabilibus ad plenum informati sumus, qui viderunt eum captiuum. Tunc illa magis certificauit eos, sic dicens eis: Pro vero securos vos reddo, quia Dominus vester nunc est in tali loco suo & in terra sua, in qua iocundatur vultu hilaris sine aliquo periculo, tædio vel malo: insuper scitote, quoniam ante sex dies noua certissime de eo habebitis. Et sic euenit per omnia, vt ipsa prognosticauit eis: vnde ipsi officiales & tota patria maxima iucunditate repleti & stupore non modico perfusi sunt.

Annotata

Petrus Psalmon nomine Magister in Theologia, nunc Doctorem dicimus: eum autem titulum seu gradum, qui suscipiunt, dicuntur Magistrari: magistrare autem est magistri munus obire: [Magistrare.] quod non tantum

postremis hisce seculis; sed etiam apud Spartianum legas; & in Cod. magistrationem.

Castra, vel Castrum aut Castrena, vrbs ad fluuium Aguthum, detracta parte ex Episcopatu Albigensi eiusque redivibus, dignitate Episcopali a Ioanne XXII exornata est anno 1317.

An Raimundus Maiorosius ex Tricastinensi Episcopus Castrensi, & a Martino V creatus Cardinalis anno 1426, [Castra vrbs.] Romæ anno sequenti mortuus?

[Viuiacum.] Viuiacum, Gallice Viviers aut Veuay, adsitum Lemano lacui ad latus Heluetiorum, a quibus vrbs ea cum vicinis locis Sabauda erepta est. Conuentum ibidem S. Coletæ extructum esse ab Amedeo Pacifico, concessa facultate a Martino V Pontifice 13 Nouemb. 1425, tradit post alios Guichenon in Historia Sabaudica ad dictum annum. Degunt modo Clarissæ Aquiani.

Id est, cognitionem diuinitus sibi infusam: nunc autem ea vox a Francis serme accipitur pro iudicio, seu opinione.

Prognosticis signis Franci deducunt prognosticare, ex signo aliquo futura prædicere.

CAPVT XVI.

De malignorum spirituum graui persecutione.

[153] Hostis antiquus talis est proprietatis, quod quanto plus videt aliquem appropinquare Deo, & magis proficere; tanto magis illum persequi conatur seu infestare & impedire, pœnas illi graues infligere, nec non afflictiones multiplicare. Illos autem, quos pacifice possidet, parum vel nihil curat impedire. Propter quod attente percipiens, [Perfectissime Deo seruire conatur:] quod illa ancilla Christi per dilectionem perfectissimam erat coniuncta

Deo penitus & inseparabiliter vnita, ducens vitam cœlibem in alta perfectione; conabatur possetenus, & quantum scire poterat, illam impedire, persecutionem omnimodam & molestias inferendo, nedum a iuuentute, sed per totum vitæ suæ spatium perseueranter vsque in finem, tam in statu seculari quam in Regulari, nec non in cunctis locis & regionibus, ad quas ibat pro Dei amore vel pro salute animarum. Quando nempe iuuenis existens decreuit in corde suo Deum affectuose diligere, seruiendo diligenter eidem. Cunctis noctibus per plures annos, cum incipiebat orationes suas, quidam malignus spiritus ad ipsam veniebat, [a diabolis nequit impediri,] & stans in loco proximo, mirabilem emittebat vocem & piam conquestionem; quatenus illam impediret a suis sanctis orationibus. Sed quamuis ipsa esset iuuenis ætate, cum hoc erat tamen in perfectis moribus & in fide prouecta: sic enim valide confidebat in Domino, quod nihil omnino forinsecum dubitabat. Quapropter illi spiritui nec signum aliquod ostendebat, nec verbum aliquod proferebat, & sic tædio victus recedebat. Sed cum peruenit ad mediocrem ætatem in statu Religionis, [etiam percussa baculis,] sæpius inuadebant eam, percutientes aspere cum rudibus & grossis baculis crudeliter & longæue, quod eius tenerrima debiliaque membra penitus fracta erant siue comminuta, liuoresque nigri remanebant per longum tempus. Nam semel inter alia tam crudeliter percusserunt eam & tam diu, quod eius tibiæ sic fuerunt inflatæ, quod in grossitiem medij corporis æquabantur.

[154] Altera siquidem vice cum feruenter & deuote peroptaret aliquam specialem orationem Domino præsentare, [non terretur apparentibus illis in figuris vulpium,] multi tales hostes illam impedire nitentes, inuaserunt in figuris vulpium apparentes, & illam percutere grauitè attentantes. Sed Dominus contulit illi cor & vigorem eisdem resistendi siue repugnandi, intantum quod per brachia se mutuo sumentes, adinuicem

duellum committere omnino conabantur, & sic hostes illi confusi recesserunt, & ipsa remansit victoriosa: & post dictum duellum reperta fuit a Sororibus valde fatigata. Percipientes enim maligni spiritus, quod eius orationes multum vtilis essent creaturis, & Deo summe placabiles; videbantur inter seipsos in multitudine magna consilium inijsse decretumque firmasse, ad inveniendum subtiles malitias & cautelas multimodas, pro sibi cunctis impedimentis possetenus inferendis, in omnibus virtuosis actibus per ipsam interceptis a vel intercipiendis: & ad hoc conabantur eidem incutere timorem & terrorem. Quod tamen per Dei gratiam nullatenus obtinere valuerunt. Imo potius in omnibus locis & temporibus, siue sola siue cum alijs, semper fortis & animata remansit, nec dubitans inter illos. Propter quod diuersimode semetipsos præsentabant eidem, & in diuersis figuris terribilibus apparentes illi; [hominum rubeorum,] interdum videlicet in figuris hominum penitus rubeorum, & aliquando similiter in figura cuiusdam statuæ terribilis & turpissimæ, tantæque staturæ, quod cælum aliququaliter tangere videbatur. [staturæ tangentis cælum,] Quadam vero vice sibi apparuit [dæmon] in figura cuiusdam maligni & horribilis draconis, qui post apparitionem illam recessit, transiens super muros conuentus. Inter ceteras bestias, quas moleste videbat, [draconis,] plus dedignabatur aspicere reptilia venenosa, velut serpentes, bufones, araneas, & similia: [serpentium,] & propter hoc maligni spiritus, talis displicentiæ non ignari, in illorum formis seu figuris cum suis complicibus se sibi demonstrabant. Nam in principio sæpe nominatæ reformationis, quæ fuit in conuentu Bisuntinensi, pluries, cum decreuerat orationi vacare vel inceperat orare, videbatur locus vel cellula suæ residentia fore repletus bufonibus turpissimis: [bufonum:] & ipsa satis cito cognoscebat astutias aduersarij bonorum, & recurrebat ad Dominum Deum suum, & tunc subito cuncta delusoria penitus evanescebant.

[155] Item quædam abominabilis & horribilis perturbatio sibi inferebatur ab eisdem scilicet malignis hostibus, [cadauera suspensorum a diabolis in oratorium delata, mandat ab eisdem auferri:] qui pluries intra suum oratorium deferebant cadauera mortuorum suspensorum infecta. Quibus confestim ipsa præcipiebat, quatenus illa cadauera reportarent ad locum, vnde acceperant: & mox (non tamen absque magna displicentia) iussis eius obtemperabant. Semel namque loquens cuidam ex suis Religiosis inexplicabiliter formidanti præfatas illusiones, interrogavit eam, si multum timeret tales hostes, si videret illos. Qua respondente quod sic, intantum quod penitus moreretur; illa subiunxit quod si videret omnes inimicos inferni, nihil omnino timeret: pro tanto quia maligni spiritus nullum habent posse super creaturas, nisi quantum a Deo sibi confertur: & sic mirabiliter confortavit eam.

[156] In eodem vero conuentu Bisuntinensi multiformiter eam persecuti fuerunt in ætate postrema. Et primo sicut legimus de sancto Patre nostro Francisco, [cum S. Francisco invita videt formicas:] qui non libenter videbat formicas, quia de prouisione viuunt contra paupertatem Euangelicam; & pariformiter ad eiusdem Patris exemplar, ancilla Christi etiam illas videbat invita siue coacta: quod attendentes hostes immundi in figuris illarum, scilicet formicarum, eam persequi frequenter conabantur, [sub harum figura vexatur a diabolis,] & multoties ab ea in rebus prædilectis, sicut in libris vel in locis specialibus, & in oratorio suo in tanta numerositate confluebant, quod videbantur ibi esse plusquam millia. In quorum aspectu præsentiali vehementer in corde tristabatur, & tam mirabilem inde concipiebat displicentiam, quod erat valde mirum: & subito post prædictam manifestationem penitus evanescebant. Interdum ad hoc, quod exercitationes a Deo sibi missæ vel permissæ forent secretæ vel non manifestæ, [adferentibus millia, mox

euanescentia:] prætendebat quod talia accidebant ratione locorum, in quibus habitabat, propter quod illa loca mundari faciebat, sequestrando quæcumque dare poterant occasionem aduentui similium bestiarum. Sed nihil inde proficiebat: nam statim vna comparente simul aderant centum millia vel plures, & simul omnes euanescebant.

[157] In patria Linguæ-Occitanæ persequebatur eam in forma muscarum, confluentium ad eius oratorium in tam grandi multitudine tamque copiosa, quod erat inæstimabiliter ei desolatorium & onerosum, [muscarum multitudine infestatur,] tam de punctura quam de volatu celerrimo super libros & super manus, & de tumultu tristabili pro conferendis sibi validissimis impedimentis. Et ex hoc tantum vexabatur & afficiebatur tædio, quod aliquoties faciebat eas fugari siue deijci foras, & incontinenti reuolabant vt prius. Et quadam vice extitit vna, præ cæteris grossior omnibus & asperior, inferens sibi grandissimum tædium in suis orationibus, [vni maiori discessum præcipit in virtute obedientiæ S. Francisci] & finaliter propter importabilem perturbationem exinde sibi vehementer illatam, non audebat per se mandare illi seu præcipere, sed decreuit in virtute sanctæ obedientiæ salutaris, in qua sanctissimus Pater Franciscus mandare consueuerat, illi præcipere quod discederet: quod & fecit, & statim abscessit ab ea, [& abigit:] sed accessit ad inferendum impedimentum vni de Confessoribus eiusdem Matris. Et ille statim venit ad eam, quæ bene nouerat totum factum.

[158] In partibus Picardiæ se demonstrabant hostes prænominati ancillæ Christi in forma limacum seu testudinum, [exagitatur a diabolis in forma testudinum seu limacum,] quæ confluebant ad oratorium eius & super cubiculum, & quanto plus illas inde amoueri faciebat, tanto plus augebantur; & quando genua flectere

disponebat ad orationem, offerebant se conspectui suo quinque vel sex vel plures numero. Quoniam vero præ ceteris, & inter cetera saltem, tales bestias abhorrebat, frequentius confluebant. Interdum circa cubiculum, vbi Deum instanter orabat, impedimentum allaturi fuissent, nisi diuina bonitas illis obstitisset: nedum hoc; [& aliorum reptilium,] sed etiam in figuris plurimorum aliorum reptilium horribilium & abominabilium bestiarum illam conati sunt persequi viriliter, & plus excessiue quam personam aliquam aliam, quantumcumque sanctam siue perfectam, saltem ex auditu vel lectura librorum; nec ex Vitis Patrum siue Legenda cuiuscumque Sancti vel electi Dei valet comprehendendi, [magis, quam vlli Sancto factum legitur,] tantam persecutionem a demonibus exhibitam fuisse cuius alteri personæ, quemadmodum huic ancillæ Christi. Ex quibus euidenter apparet excellentissima vitæ suæ sanctitas & altitudo perfectionis, inter omnes filios & filias adoptionis summi Patris æterni, [& innuitur maioris perfectionis fuisse:] nec non inter perfectos amicos & dilectas sponsas ac amicas Dei: perspecto diligenter & viso, quod cunctæ persecutiones, quas ingerunt maligni spiritus veris amicis Dei, a Diuina permissione procedunt: & quanto perfectiores extiterint & in dilectione Dei magis radicati, tanto plus illos sepius & asperius vult & permittit examinari seu vehementius approbari.

[159] Inter prædictas vero graues eius persecutiones vna horribilior fuit & desolabilior, per septenium ante suum gloriosum decessum: [vltimo septenio molestius exercetur, apparitione omnis generis bestiarum,] quando nempe volebat orationi vocali siue mentali vacare, statim occurrebat illi multitudo dæmonum ad similitudinem muscarum in aëre volantium, & dictorum inimicorum numero figurarum numerus æquabatur: & apparebant diuersæ species crudelium bestiarum, videlicet lupi, leopardi, siue leones & huiusmodi, nec non figuræ vilissimorum & turpium reptantium, vt colubrorum

serpentium, & bufonum: & plures figuræ seu species horribilium bestiarum, & diuersarum staturarum, & pariformiter variæ formæ siue figuræ rationabilium creaturarum, vt puta virorum siue fœminarum, quæ videbantur turpiores & atrociores alijs. [etiam hominum turpium, aut pulchre comptorum] Et inter eos apparebant aliquæ paruæ satis decentes & pulchræ, & in formis virorum vel mulierum satis pulchris, cum capillis longis & magnis & bene pectinatis. Et omnes prædictæ figuræ se simul repræsentabant eidem: nec paulisper oculos leuare poterat, quin illas videret. Quibus visis tantam in corde suo tristitiam statim concipiebat & anxium dolorem, quod maiorem vel intentiorem nullatenus tolerare potuisset; & taliter affligebatur & desolabatur exinde, quod ad se nullo modo redire poterat per spatium decem vel duodecim horarum.

[160] Erat autem valde mirabile, quia, quando iuxta diuinum beneplacitum figuræ videbantur ab alijs personis, nulli penitus ingerebant dolorem, [sua præsentia a terrore liberat alios videntes,] tristitiam & terrorem, præterquam ancillæ Christi: nec videbantur ab omnibus qui principaliter aderant, quando videbantur ab ea, sed tantum ab illis, quibus ostendere dignabatur Altissimus. Nec minus tamen propter hoc sic videntes arbitrabantur certitudinaliter in eius præsentia; quod si similiter vidissent in eius absentia, tantum timorem & terrorem incurrissent, quod extra sensum & omnino rabidi fuissent.

[161] Plures ex suis Religiosis illas figuras viderunt, signanter tamen vna familiaris & secretaria dictæ Matri, tam de ipsa quam de factis suis multum experta: [potissimum Religiosam sibi a secretis,] quæ pluries viderat & certissime cognouerat excessiuum dolorem & tristitiam, quem tolerabat post visionem prædictam. Propter quod ex pietate compassionis cordialiter

affectabat in seipsa posse sustinere totum dolorem & pœnam, [conantem impedire ne molestia ei creetur:] quam ancilla Christi sustinebat. Et idcirco talibus horribilibus figuris apparentibus se interponebat diligenter inter ipsas & Matrem, ne ipsa Mater illas videre posset, & totus dolor exin caussatus & pœna similiter in eam conuerterentur, dicendo: Venite ad me, venite ad me: relinquitte Matrem meam. Et cum essent in multitudine nimis copiosa sumebat ramusculum, cum quo trahebat figuras illas, & retrocedere faciebat post tergum ancillæ Christi. Quæ quidem nullatenus ausa fuisset attentare, nisi propter præsentiam suæ virtuosissimæ Matris.

[162] Interdum ex certis caussis, soli Deo sibi que notis, decreuit nonnullis de suis Confessoribus præfatas horribiles figuras ostendere, quod & fecit. [procurat a Confessariis videri:] Quibus visis, nullum timorem nec dolorem conceperunt propter suæ præsentia securitatem: sed post præfatam visionem & ostensionem arbitrabantur se fuisse deprehensos in magno periculo perdendi sensum, si talia vidissent in absentia Matris. Prima vice, qua prædictas figuras ostendit vni de prædictis Confessoribus, [figuras leunculi,] vidit quemdam leunculum ex toto nigrum, prius tacitum sine motu, postmodum ambulans. In secunda vero vidit vnum magnum serpentem, turpem & horribilem, inter Matrem & ipsum Confessorem existentem. Et iterum ipse serpens mutatus est in figuram cuiusdam candelæ sulphuræ. [& magni serpentis mutati in candelam sulphuram: maiore paulatim accessu patitur has dæmonum tentationes,]

[163] Et sciendum, quod prælibatæ figuræ dæmonum terribiles, sibi primitus apparebant in parietibus oratorij vel camerulæ suæ habitationis absque descensu, sicque diu fecerunt: & postmodum ad infima præfatae cellulæ vel

oratorij descenderunt, sibi tamen non appropinquantes: & ad vltimum totum oratorium, in altum & infimum, in parietibus & in aëre, penitus repleuerunt: & appropinquantes ad eam venerunt super habitum & super librum & super manus nec non super omnes partes corporis, peruenientes vsque ad oculum, quem inter cetera membra diligebat propter visum, quo singulariter confortabatur in orationibus vocalibus, & in visione pretiosissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi: quem grauiter lacerauerunt, vt dictum est, taliter quod se iudicabat illum amisisse vel amittendum de proximo, sentiens in posterum diu grauamen dolorum. Quamplures etiam alias persecutiones intulere ancillæ Christi maligni spiritus, quas nimis longum esset enarrare. Sed inter ceteras in principio reformationis, quam Deus per illam faciebat, in oratoriis suis, vbi orabat Deum continue, salubriter ac deuote, sæpissime veniebant ad perturbandum eam in suis deuotis precibus, validum tumultum & impetuosum siue tempestuosum inducentes, & percutientes cum grossis baculis super oratoria iam dicta, & interdum super eam; aliquoties eleuantes oratoria penitus in altum & in aëra. Verumtamen nec propter tempestatem, [& tumultus ab illis excitatos,] nec propter percussuram inflictam, aliquatenus mouebatur a suis orationibus sedulis & deuotis. Et similiter in vltimis diebus suis multoties veniebant ad dictum eius oratorium in multitudine copiosa, inferentes terribile nocumentum cum grandi tumultu, [potissimum vltimis vitæ diebus.] percutientes vt supra cum grossis baculis per circuitum oratorij, & incutientes illud ad modum fulguris, intantum. quod paucae Religiosæ pro socianda Matre ibidem audebant remanere, tantum excepta Religiosa supradicta: quæ sæpe confidens in meritis & virtutibus prælibatæ Matris, accedebat ad videndum quid esset: nihil tamen reperiens præter baculos, malignis spiritibus tunc euanescentibus virtute diuina, dictosque baculos pro signo relinquentibus super terram.

Annotata

Suscipere aliquid agendum Francis enterprendre dicitur, quod hoc barbarismo expressit interpres.

Simili idiotismo Franci dicunt: pour tant que, eo quod.

CAPVT XVII.

De gratiarum specialium Sanctorum & Dei amicorum in ipsa renouatione.

[164] Deus, cuius misericordiæ non est numerus, per suam summam & infinitam bonitatem, omni tempore dignatus est in hanc vallem miseræ, destinare ex suis Sanctis & electis, in sexu masculino potissimum, pro conuersione salubri pauperum peccatorum: sed in diebus nostris, qui pro fine seu complemento iudicari possunt posterioris ætatis, dignum duxit in fæmineo sexu mittere quamdam ex filiabus suis dilectissimis & præelectis, suam videlicet ancillam Sororem Coletam, [Resplendet dotata virtutibus aliorum Sanctorum,] tamquam veram illuminatricem & perfectam directricem ambulantium in tenebris vitiorum & in vmbra mortis, ad reducendum illos in viam salutarem mandatorum Dei, nec non ad præbendum cunctis generibus hominum in quocumque statu lumen & exemplum perfectionis & sanctitatis, deuotionisque totius & mortificationis, & omnimodæ virtuositatis. Pro cuius executione reali cum effectū, decreuit excellentiam vite, cum eminentia gratiarum & virturum suorum Sanctorum & amicorum specialium electorum in ipsa reuocare: & si non in toto, tamen in magna parte, videlicet in solitudine cum abstinentia, pluribusque aliis gratiis Patrum antiquorum, in claris cognitionibus Prophetarum, in paupertate voluntaria Martyrum, in feruenti caritate Confessorum, in nitida puritate Virginum.

[165] De solitudine vero certum est, quod pauci Patres, [cum sanctis Patribus amat solitudinem,] qui specialiter in illa commendantur, talem vel similem seu æqualem obseruauerunt, velut ipsa: quæ per spatium quinquaginta annorum inclusa continue permansit & firmata, nedum infra reclusagium seu infra conuentum, in quibus possunt contineri lata spatia seu viridaria cum aliis pertinentijs, [50 annis inclusa cellæ arctissimæ,] sed tantum in quadam stricta cellula, quæ continebatur in quolibet illorum conuentuum: cui magis competebat nomen carceris vel sepulcri, quam cuiuslibet alterius habitationis. Erant enim præfatæ cellulæ, taliter strictæ, parsuæ seu dimissæ, quod vix se poterat erigere, vertere seu leuare: prout euidenter apparet in pluribus conuentibus, signanter Viuiaci, vbi cella sua non continebat plus quam sex pedes in longitudine, nec plus quam quatuor in latitudine. Et præter hoc insuper, quod prædicti Patres habebant multo longiores & latiores prædictis, poterant nihilominus spatiari per eremum & recreari post orationes, labores & pœnas, & ita peragebant de facto. [e qua non egreditur ad se recreandum,] Ipsa enim numquam exiuit statutum oratorium ad recreationem sui pro quacumque dolorosa seu horribili pœna. Et vltra hoc quando præfata cella situata fuisset iuxta virgultum, quod non erat nisi passus intermedius, exire nullatenus volebat. Cum vero necessitabatur exire conuentus pro visitatione facienda vel alias, applicans ad aliquod hospitium, prædictam solitudinem seruabat & clausuram, [in hospitiiis sibi similem cellam conficit:] se tenens in aliquo paruo angulo, clauso pannis vel coopertorijs acsi foret immobilis; nec inde penitus mouebatur, donec tempus esset recedendi.

[166] Plures etiam ex prædictis Patribus habitantes in rupibus & in cauernis, varias abstinentias faciebant & longas vigilias, vacantes orationibus deuotis & prolixis. [arctissime ieiunat, per Quadragesimam absque vllo

cibo:] Sed ancilla Christi tam admirabilis extitit abstinentiæ, quod adinstar sacratissimi Domini Saluatoris ieiunij, per quadraginta dies totidemque noctes nihil penitus manducauit neque bibit: quod tamen humanitus erat impossibile seu contra naturam, sed tantum diuinitus & supernaturaliter nihil impossibile apud Deum. De ceteris autem eius abstinentijs in superioribus satis patet. Quis enim expertus est similem vigiliam? [per integrum annum non dormit:] cum ipsa vigilādo perseuerauerit absque dormitione somni, per totum vnus anni spatium continuum, ex speciali gratia cælitus ei collata.

[167] Insuper inter singulares prærogatiuas, quæ leguntur communiter a Deo elargitæ suis Sanctis & electis & fidelibus amicis, per ostensionem exteriorē dignæ commendationis, fuit, quando sibi placuit prolongare diem, & arrestare cursum solis, prout habetur in veteri Testamento de Iosue, bellante contra Gabaonitas, & legitur in nouo Testamento de sancto Coopericio, volente venire ad fratrem suum infirmum ante solis occasum, ad cuius preces sol prolongauit cursum suum. Sed non minoris commendationis fuisse videtur abbreviare diem, [precibus diem solito breuiorem facit:] & antepone se festinare cursum solis ad preces alicuius specialis & dilectissimæ sponsæ suæ; quam ostendere voluit Altissimus ad instantiam ancillæ suæ Coletæ: quæ multimode ad honorem Dei, & salutem animarum vitam exposuit temporalem perditioni pluries, & honorem confusioni, nisi Deus eam præseruasset de mera gratia. Nam sicut dictum est, tempore quo guerræ mortales & dissidia seu diuisiones vigeant, intantum quod pauci reperiebantur, qui auderent exire fortalitia sive castra munita, deliberavit, [exponit se periculis variis:] & de facto cœpit visitare seu frequentare partes sic diuisas indifferenter, non obstantibus periculosis discriminibus interiectis. Quando siquidem erat in vna de partibus diuisis, sic ex aduerso suspicabatur vehementer de ipsa,

tamquam de fauorabili pro parte altera, procurante maligno spiritu. Similiter agente parte altera, cum ibidem applicabat; Deo solo cognoscente, quali desiderio ferebatur in bonum cuiuslibet partis, saluo primitus honore diuino; quantasque preces deuotas emiserit & emitti fecerit per omnes suos conuentus, & quantas lacrymas effuderit & effundi fecerit similiter in eisdem.

[168] Vice quadam, venit nouiter in quamdam villam, satis grauata occasione prædicta, & diligenter custoditam, in qua conuentum Sororum habebat. In qua statim postquam applicuit, murmurare cœperunt seculares, quod esset pro reliqua parte fauorabilis. Et statim post inimico procurante fuit subsecuta dispositio cuiusdam inconuenientis permaximi per talem modum. Nam Sacristaria conuentus, quæ pulsare pro Matutino debebat circa noctis medium, excitata fuit inter nonam & decimam horam, & existimans quod esset media nox, [de nocte aliquot horis casu pulsata citius cāpana ad Matutinum:] pulsauit de facto pro dicto Matutino. Peruigiles autem & custodes villae campanam audientes ante debitam horam pulsari, suspicati sunt de prodicione, præfatumque pulsum siue tractum iudicantes signum esse contrarijs, ex aduerso veniendi pro raptione dictæ villæ. [ne Religiosæ, vt cum hoste conspirantes, occidantur,] Propter quod commoti fuerunt, & non parum turbati, nec non & deliberati pro inferendo dictis Religiosis maximum & indicibile malum, videlicet ipsas interficere vel penitus destruere. Propter quod omnes armati conuenerunt, volentes attentare, atque iuxta deliberationem exequi conceptum malum. Sed appropinquantibus conuentui Pater misericordiarum sua mera gratia, meritis exigentibus humilis ancillæ suæ, providere dignatus est de remedio opportuno, abbreviando videlicet noctem illam & tempus conformando, similiter horam illam & horologium iuxta mentem & intentionem illius, quæ pulsare credebat hora media noctis pro matutino. Sic

illam abbreviationem manifestando, publiceque horologium, [impetrat noctem diuivitus abreviari:] quod satis demisse siue rauca voce sonare consueuerat, dum pro decima pulsare debebat hora, tunc alte siue clare, cunctis audire valentibus de villa, pulsavit tantum pro vna: quam pulsationem signanter audientes feroces armati, concurrentes ad dictum conuentum, recognouerunt malitiam suam, & potissime discretiores inter eos reprimentes seipsos cum alijs dicendo sic: Nos sumus malæ gentes, quia male & iniuste suspicamur contra istas pauperes Religiosas, bonas & devotas, quæ cum obedientia & diligentia nituntur Deo servire, nosque custodire melius per suas sanctas orationes, quam nosipsimet per nostras vigilias & armaturas. Et ita reuersi sunt dolentes & tristes de malo, quod interceperant eisdem facere iniuste. Et sciendum est quod abbreviatio prælibata temporis & noctis [facta sit] non solum quantum ad horologium pulsans horas nocturnas & diurnas, sed etiam de facto quantum ad tempus: nam aurora diei visa fuit æque cito post pulsationem, acsi pulsasset in media nocte: ex quo, nec immerito, Religiosæ valde fuerunt admiratæ, dum perceperunt factum.

[169] Quantum ad notitiam & spiritum prophetiæ, sicut supra dictum est, [cum Prophetis nouit absentia & futura:] ipsa clare cognoscebat præterita, & absentia tamquam præsentia pariter & futura. Nam sæpe desolata fuit de superabundanti notitia, quam habebat a Deo, potissime de factis alienis. Decessum etiam ab hoc seculo, tempus & horam mortis sanctissimi Domini Papæ Martini Quinti, tunc moram trahens in Lingua-Occitana siue in Terra-bassa cognouit, [prædicat mortem Papæ Martini Quinti, & diuisionem Ecclesiæ:] sciuit & manifestauit: & diuisionem Ecclesiæ sanctæ, Matris nostræ, finemque Concilij Basileënsis, & electionem Antipapæ cognouit & prædixit plus quam per tres annos antequam accideret, vnde grauiter in corde suo dolebat & tristabatur.

[170] In speciali complacebat in paruulis propter conformitatem ad ipsam in munditia & puritate, quæ præsentatur in eis. [optat paruulo, vt ante moriatur, quam Deum grauiter offenderet:] Semel fuit quidam sibi præsentatus paruulus nobilis & pulcher, & a notabilibus parentibus procreatus: cuius ipsa cognouit finem & perditionem, quamuis libenter videret eum prius & dixit. Ex quo puer iste, si diu vixerit, commissurus est aliquid, propter quod priuari debet visione diuina, precor Altissimum humiliter, quatenus ipsum in breui vocare dignetur ab hoc seculo. Quo reportato cum aliquali sospitate, sicut venerat, statim post regressum satis cito infirmari cœpit, & mortuus est. Propter quod parentes pueri desolati sunt mirabiliter, & venerunt perquirentes ad conuentum Religiosarum an scirent aliquid de casu præfato: quibus manifestatum est de verbis prolatis ab ancilla Christi, propter quæ remanserunt multum consolati, suas conformando fructuosas voluntates ad illam, quæ nullatenus deficere potest.

[171] Quædam valde nobilis & potens Domina, legitimos habens paruulos, & fundatrix aliquorum conuentuum huius Matris, erat vidua: cuius patriam & totum patrimonium prædones consumeabant, non verentes illam, quia mulier; nec pueros eius, quia paruuli erant. Requisita vero pro nobili matrimonio contrahendo, consentire disposuit, tum pro defensione dicti patrimonij, tum etiam pro spe, quam habebat de prole legitime procreanda. Pro quo tum securius peragendo consulere decreuit ancillam Christi: cui tale fertur dedisse responsum. Domina, inquit, mea, [prædicat cuidam nupturæ, quod prolem non sit habitura:] faciatis iuxta beneplacitum vestrum: verumtamen scitote, quod numquam a Domino marito vestro reportabitis prolem. Et tandem satis cito post completum matrimonium migravit, nulla progenie subsecuta, iuxta quod sibi prædictum fuerat ab ea.

[172] Item alia vice quædam de suis Religiosis Sororibus anxiabatur solícite, quomodo plene confiteri posset: quam Mater vocavit, dicens illi dulciter per hunc modum: Filia, te oportet confiteri valde secure & nihil dubitans: [anxiæ Religiosæ indicat modum confitendi peccata:] quia Deus misericors est & benignus & pius: & dicens sic & sic. Vnde paupercola filia verecunda remansit, attendens quod Mater nouerat suam meditationem & peccatum. Item semel sedens in mensa pro refectione corporali sumenda cum pluribus alijs Religiosis de suis, ita subrepta fuit per aliquam spiritualem & cælestem recordationem, quod oportuit eam a mensa surgere: quæ statim accessit ad oratorium, pro se recolligendo siue meditando circa meditationem prædictam. Et tunc cuidam Religiosæ socianti se, sic ait: Quid diceretis vos, si videretis nouem Abbatissas in mensa? Præcognouerat quod nouem ex illis, quæ sibi consederant in mensa, futuræ forent Abbatissæ consequenter in aliquibus suorum conuentuum. [Præcognoscit nouem ex suis futuras Abbatissas:] Quod postmodum verificatum extitit & completum, sicut ipsa præcognouerat.

[173] De perfectione nihilominus Apostolorum, qualiter in ea completa fuerit, satis apparet. Nam Apostoli dicuntur a Deo electi & missi; [cum Apostolis confertur:] & ipsa singulariter fuit electa pariter & missa in hunc mundum miserabilem, pro pauperibus peccatoribus reducendis a tenebris ad lumen, & a perditione ad salutem: [in conversionem animarum electa a Deo,] & in signum talis missionis concepta fuit per Dei gratiam, & specialiter supra cursum naturæ, pro tanto quia concepta de matre, quæ tempus pertransierat aptum communiter ad concipiendum prolem. Item Apostoli gloriosi diuiserunt se circumeundo diuersas regiones, ad exaltandum Dei nomen, & pro prædicando fidem Catholicam. [diuersas regiones obit:] Pariformiter per quadraginta annorum spatium ipsa non cessauit currere per diuersas regiones &

terras, ædificando seu ædificari faciendo conuentus, ad commendationem & exaltationem nominis Dei sanctissimi & ad salutem animarum, per calorem & frigus, per aquas & per terras, per diuisiones & guerras, se cum suis exponendo persecutionibus & omnimodis afflictionibus, pro releuando pauperes animas de faucibus hostis infernalis, & pro reducendis illis in manu Domini Dei Saluatoris & piissimi Redemptoris illarum.

[174] Apostoli perfecti fuerunt in vita, & abundauerunt in gratijs plusquam ceteri. In qua quidem perfectione vitæ, cum singularis Domini Saluatoris imitatione, fuit vera mulier Euangelica seu Apostolica, viuendo secundum sanctum Euangelium; & sicut vere Apostolica renuntians omnibus, [perfectionem Euangelicam assecuta, ad eam suas adhortatur:] nihil penitus sibi retinendo, nec in proprio nec in communi. Quapropter cum semel in magno feruore spiritus loqueretur Sororibus suis, in communi congregatis, de perfectissima vita benignissimi Saluatoris nostri Domini Iesu Christi, nec non sua profundissima humilitate, magnaque paupertate, quas ipse cum sua gloriosa Matre Virgine seruare voluit, & cum suis sanctis electis Apostolis, quam diu vixerunt in præsentī seculo; [apparentibus 12 Apostolis & assidentibus,] exhortans illas, & docens illas imitari vel insequi recto tramite per viam perfectionis iam dictæ; ipsa sic loquente, subito voluntate Diuina peragente principaliter, adfuerunt duodecim Apostoli, se manifeste demonstrantes eisdem, & sedentes iuxta eam humiliter super terram, & videbantur etiam a pluribus Religiosis in specie duodecim personarum magnifice & reuerenter præcellentis honoris; in quibus relucebat simplicitas, humilitas, paupertas; & erant omnes vniformiter induti vestibus albis, in signum sanctitatis & perfectionis vitæ, nec non ad ostendendum conformitatem, quam ipsa gerebat ad illos & ad suam sanctissimam vitam: & tam diu permanserunt in eius præsentia, quamdiu doctrinæ præfatae verba durarunt:

quibus completis, [cum illis in aëre eleuata conspicitur:] a pluribus de dictis Religiosis visi fuerunt adscendentes in aëra, donec peruenirent ad cælos: & ipsa pariter cum eisdem visa fuit a Religiosis illis in aëre eleuata, sic in altum & diu, quod de illa sicut de ceteris visum perdiderunt.

[175] Plures insuper aliæ gratiæ, vt sanctis Apostolis, ita mirabiliter a Deo collatæ sibi fuerunt; sicut gratia sanitatis de vniuersis infirmitatibus, [dotata dono miraculorum,] & resuscitatio mortuorum, prout inferius patebit. Similiter Apostoli sancti dæmones a creaturis expellebant, & eiiciebant in nomine Domini nostri Iesu Christi, quod & ipsa faciebat: Nam plures rabidos, & ex sensu omnino positos vel dæmoniacos restituit perfectæ sanitati per virtutem nominis Iesu. Fuit enim in suo tempore Religiosa quædam in vno monasterio multarum Dominarum rabida penitus & extra sensum, [energumenam miserrimam,] quæ multum torquebatur & vexabatur ab ipsis dæmonibus, & vltra hoc patiebatur morbum caducum tam horribiliter, quod ceteræ Religiosæ dicti monasterij valde fatigabantur, & indicibiliter grauabantur nocte dieque. Nam oportebat multoties quod a sex vel a pluribus teneretur, & interdum ab omnibus: nam alias magnum damnum & irreparabile tam sibi ipsi quam ceteris intulisset. Et erat mirum, quia per vnum integrum annum semper illum furorem teterrimum incurrebat tempore diuini Officij vel tempore Missarum, vnde multum ceteræ Religiosæ desolabantur: nam si forte quieuisset a tempore Completorij vsque ad Matutinum, tunc se discerpebat sic horribiliter quod cogebantur plures a diuino officio remanere, pro tenendo vel restringendo dictam infirmam. Similiter a prima pulsatione Primæ vsque ad finem Missæ, nec non ad omnes Horas Canonicas, quamuis esse ligata, necesse erat eam teneri: & aliquoties per duos vel tres dies remanebat tacita super lectum, [miris morbis afflictam,]

tota rigida per cuncta membra, quasi siccus baculus; ita quod citius fuissent eius fracta brachia quam plicata: cuius os sic horribiliter manebat apertum, quod in illa faciliter intrasset integra torta panis: oculi eius turpiter aperti magnique monstrabantur, sicque manebat absque loquela siue cognitione, nihil manducans neque bibens, nec aliquod signum faciens, præter flebilem planctum & funestum, in quo duabus vocibus vti videbatur: & interdum a dicto furore sic torquebatur, quod nullatenus ligari & teneri poterat; comedens & bibens quicquid reperire poterat, ova videlicet integra, magna frusta lignorum & lapidum, & testas nucleorum, prunorum siue cerasorum, & aliorum similium ad plenos manipulos. Plicabat ferrum ad modum virgulæ viridis arboris: alte clamans voce non apparenter humana, nec per aspersionem aquæ benedictæ, nec per impressionem sacratissimi signi Crucis, nec per orationem aliquam super se dictam, quouis modo tacere poterat. Aliquando vero furor ille sic illam torquebat, quod vltra prædicta, quasi sine sensu, velut quedam irrationalis bestia, sanguinem mittebat per oculos & per genas, per aures & per testudinem capitis, & per omnia membra corporis; sic breuiter quod erat horrendum videre. Tandem placuit Altissimo, quod Religiosæ sibi consociæ recordatæ fuerunt ancillæ Domini nostri Iesu, in longinquis partibus pro tunc moram trahentis; & inito consilio significauerunt sibi scriptotenus totum factum, [litteris rogata,] rogantes humiliter quatenus dignaretur pie compati sua dulcissima benignitate pauperulæ Religiosæ taliter patienti; videlicet quod haberet eam in suis sacris orationibus recommissam. Mirum certe: nam statim missis illis litteris, ipsa horribilis & terribilis infirmitas decrescere cœpit, & consequenter a Matre eisdem litteris receptis multo magis extitit diminuta; [suis precibus liberat:] sed postmodum fuis ab ea ad Deum precibus, per processum de bono in melius satis cito post hoc plene fuit liberata, & ad plenam sospitatem suis meritis & precibus restituta.

[176] Apostoli varijs linguis loquebantur & omnia idiomata percipiebant. [varias linguas nouit:] Pariformiter ipsa cuncta percipiebat idiomata, videlicet Latinum & Alamanicum & reliqua. Gloriosis etiam Apostolis Christi talis collata fertur fuisse gratia, quod, si venenum mortiferum biberent, non eis nocebat. Ad idem ancilla Christi de facto bina vice sumpsit potionem intoxicatam mortifero veneno, quam in nomine Domini sustulit absque læsione: [venenum bibit illæsas] tandem autem certificata de personis talia propinantibus, libenter indulsit & fauorabiliter.

[177] Tolerantia vero Martyrum non minus dignoscitur in ea reuocata; [comparatur Martyribus,] quam si non per effusionem sanguinis pertulerit, pertulit tamen pœnam & æqualem dolorem, nedum vnus tantum, sed etiam plurium, grandia videlicet & immanissima tormenta: nam si centies introducta fuisset in dolium feruentis aquæ vel olei, seu totidem vicibus combusta vel tosta vel excoriata fuisset, ac capite truncata; [varia tormenta passa] non propter hoc sustinisset tam pœnale seu dolorosum martyrrium, vt de facto portauit, [50 annis:] non solum per trium aut quatuor annorum spatium, sed continue per quinquaginta. Et præter hoc extitit vera Martyr per feruens desiderium offerendi suum corpusculum in oblationem & hostiam in mortem propter amorem Domini nostri Iesu Christi pijssimi Redemptoris, [exoptans pro Christo mori,] qui mortem amarissimam pro nobis sustinuit in ara crucis. Et vltius opere seu facto Martyr dici potest: nam ambulando seu circumeundo diuersas regiones propter honorem Domini & exaltationem sanctissimi sui nominis, [habuit brachium fractum,] tantam tolerantiam plagarum sustinuit & portauit, sanguinem spargens affluenter, quia habuit brachium fractum non absque magno dolore, de quo facta fuit impotens perpetuo vitæ suæ tempore: [& caput conquassatum:] nec non etiam habuit caput

conquassatum & contritum, intantum quod quando se vertebat, audiebat ossa se mutuo collidentia.

[178] De feruenti caritate Confessorum, qua cum fide sincera notitiaque lucida ferebantur in Deum, se penitus absentantes a mundo, nec non & sequestrantes seipsos a quibuscumque mundanis & secularibus rebus, se plenius occupantes in ijs, [comparatur Confessoribus.] quæ tangunt perfectissimam dilectionem Dei; eius ancilla fuit ita inflammata sicque feruenter ignita, quod per aliquod tempus, propter excellentissimum quem ad ipsum gerebat amorem, quotiescumque sibi dicebatur vel audire poterat aliquid de diuino, glorioso, mellifluo nomine, statim sensus eius omnes perdebant vsum operum suorum intellectus cum ceteris potentijs animæ, [audito Deo nomine in extasim rapitur:] & sic perfectissime coniungebatur ad illum, quod ipsa tota rapiebatur in Deum. Propter quod volentes sibi loqui, necessitatem habebant se custodire diligenter, ne tangerent aliquid pertinens ad excellentiam & perfectum amorem Dei: nam subito rapiebatur tota, nec poterat aliquis secum loqui per magnum spatium temporis. Cum illo tamen amore perfectissimo, quo ferebatur in Deum, afficiebatur mirabiliter ad proximum viscerosa caritate: [beneuola erga proximos,] erat enim sic feruens & sollicita circa bonum spirituale cuiuslibet personæ, quod nullatenus quiescere valebat cum tranquillitate spiritus sui, nisi succurreret & adiuuaret aut provideret indigentia talium, iuxta vocationem & possibilitatem suam. Nam libenter seipsam obligasset pro succurrendo necessitati pauperum proximorum, sicut & aliquando fecisse comprobatur. Nam quædam persona nobilis per infortunium deuenerat in opprobrium & necessitatem, sic quod non poterat bono modo cum suis creditoribus convenire, [etiam in necessitate temporali:] nec illis satisfacere sine discrimine magno: ipsa vero sua feruenti caritate sic disposuit negotium, quod per medium

aliquorum bonorum, quæ sibi fuerunt commendata, sine iactura fuit illa persona penitus expedita.

[179] Etsi caritate feruida ferebatur erga viuentes in hac vita mortali, multo magis incomparabiliter affectabat defunctis pia benignitate succurrere. Erat nempe mirum eius desiderium adiuuandi seu alleuandi pœnas grauissimas, [afficitur valde animabus purgatorij pro ijs orando:] quibus affliguntur animæ pauperes in purgatorio, quarum affectione compassiua dicebat, quod libenter ipsa personaliter vellet sufferre pro illis pœnas prædictas. Quapropter vltra spirituales ordines dabat operam, quod omni die præter triduum ante Pascha Sorores in conuentibus dicerent Officium mortuorum in communitate. Erat autem Religiosus quidam dignitatis non modicæ, nobilis nationis, sed satis laxatæ conscientiæ, pariter & exiguus in deuotione, qui singulariter confidebat in eius orationibus super omnes creaturas totius vniuersi, figens in eisdem principalem spem salutis animæ suæ. Nec fuit inde fraudatus: nam ipsa persistens in partibus remotis, [nouit aliquem in purgatorio grauiter puniri,] præsensit in spiritu futurum propinquum illius viri Religiosi discessum; nec non & horribiles pœnas & dira tormenta, quæ passurus erat iuxta demerita sua. Nouit insuper, quod, quamuis sic grauiter esset puniendus, verumtamen ex hoc non amitteret gloriam regni cælestis: pro quibus pœnis abbreviandis incessanter & diu pro illo preces fundere non cessauit, donec plene certificata fuit de suo complemento deliberationis & perennis glorificationis. [& precibus liberatum:]

[180] Et cum accidebat in conuentibus, vbi morabatur, aliquam Sororem seu aliquem Fratrem appropinquare morti corporaliter; si talis esset Soror, personaliter accedebat ad eam in infirmaria; si vero Frater, mandabat ipsum deferri ad cratem Ecclesiæ coram ipsa,

[moribundis suis cupit adesse,] quatenus præsens esse posset in eius transitu, periculo necessitatis extremæ sui finis, in quo totis viribus, per orationis gratiam a Deo sibi collatam, exponebat se pro succursu vel solamine talium sic decedentium: nunc per feruentes & cordiales orationes, suppliciter inuocando benignissimam Dei misericordiam & pijssimam gratiam; nunc autem exhortando talem decedentem ad firmam fidei constantiam, [vt felicem mortem procuret:] per veram spem illum fortificando contra cunctas illusiones, & fraudulentas siue malas repræsentationes, illi possibles induci vel procurari per hostes malignos, in illo vltimo instanti & hora nouissima; & interdum fugando vel præcipi faciendo talibus inimicis quod discederent: quibus adminiculis ipse moriens, pauper & indigens, multo facilius poterat acquirere gratiam coram Deo, & cum eo similiter pacificari & euadere supplicia sempiterna.

[181] Munditia nihilominus & puritas sacrarum Virginum specialiter extitit in ancilla Christi renouata: Virginitas enim est virtus altissima conuersationis cælestis & attinentiæ sanctorum Angelorum: [cum sanctis Virginibus,] per cuius medium plures sanctæ personæ Deo fuerunt placabiles & gratæ: de quarum numero principalis & primiceria esse meruit Virgo Maria, Mater Christi Iesu, quam eligere dignatus est super omnes Dei Filius, [& Deipara,] vt exinde sumeret vestem virgineam de sui pretiosissima corporis portione. Quæ quidem virtus nobilissime renouata probatur in ancillula Christi Coleta, propter excellentem munditiam, & puritatem cordis & corporis, quam designanter manu tenere voluit & seruare, per votum castitatis solenniter emissum in manu Vicarij Domini Iesu Christi: [castissime viuit:] eandem fideliter obseruatam, in amicam & prædilectam Sponsam adoptare dignatus est ipse filius Dei, sicut supra satis patet in Capitulo de castitate. Cuius virtutis amor sic radicatus & impressus erat in corde suo, quod numquam

verbum leue seu inhonestum dicere potuit, nec audire quouis modo sine tristitia & desolatione.

[182] Semel enim accidit quod vir quidam dissolutus & carnalis, exterius patefaciens quod interius continebat, puram & mundam ancillam Christi, degentem adhuc in habitu seculari, reperit in quodam monasterio vacantem orationi. Quam procaciter impetijt verbis indecentibus, vilibus & inhonestis, [inhonesta loquentem] tamquam a diabolo suggestis. Cui dolenter ipsa respondit: Quod vtinam dignaretur Altissimus illi conferre notitiam illorum, quæ dicebat. Nec longa mora: [modeste redarguit,] quin sibi clare patuit, quid mali fecerat, inuadendo sic turpiter electam ancillam Christi, mox futuram Sponsam & amicam. Nam volens & credens exire dictum monasterium per maiorem portam, quæ cunctis patens erat, nullo modo potuit vltius pertransire, [punitum a Deo,] plusquam si dicta porta muris foret obstructa. Quamobrem, nec immerito, subito stupefactus & territus, quotiescumque satagebat egredi, semper retrocedere compellebatur: nec sciebat quid acturus esset, nisi perdere sensum: quousque quodammodo recoluit se protulisse verba vilissima penitus & inhonesta contra puram & nitidam ancillam Christi: quibus incurrisse casum tam ferocem & insolitum & fremebundum se iudicans, festinanter accessit ad eius præsentiam, culpam recognoscens, & veniam postulans humiliter & devote. Cui dulciter sic illa respondit: Deus, inquit, [precibus adiuuat:] per suam sanctam misericordiam dignetur vobis indulgere. Quibus peractis, absque difficultate foras egressus est.

[183] Sua vero puritas tantæ virtutis erat, quod multi frequentantes eius contubernium, per prius inclinati nimis ad leuitatem vel ad aliquam immunditiam; [sua præsentia alios reddit castos:] post eius nitidam præsentiam remanebant omnino liberati, nec non & fortificati, ad

obseruandum constanter puram castitatem. Inter quos fuerunt aliqui Religiosi, qui familiariter manifestauerunt ei aliquas tentationes valde periculosas, humiliter ei recommendando totum factum suum: & fuit bene mirum: nam confestim amiserunt facultates exequendi tentationem prædictam, vt si voluissent non potuissent; & consequenter tam a voluntate quam a facultate liberati fuerunt. Item in Francia erat quidam Princeps nobilissimus & generosus & præpotens: [& inter illos Principem vitij addictum:] qui priusquam videtet prædictam ancillam Christi, mundanus erat, carnalis, pomposus & delicatissimus. Cuius quidem Principis per eiusdem ancillæ medium & adiutorium, mundanitas conuersa fuit in Religiositatem, pompositas in profundam humilitatem, carnalitas in spiritualitatem, & deliciositas in duram & austeram asperitatem. Et idem Dominus post receptionem pretiosissimi Corporis Christi pluries, multis notabilibus personis audientibus, asseruit, se numquam post aspectum facialem eiusdem ancille, Christi tentationem carnalem incurrisse.

[184] Similiter in eodem regno Franciæ quædam extitit præpotens & nobilissima Domina, laudabilis & bonæ vitæ, magni nominis & famæ, virtuosæ pietatis, & misericordiæ virtute valde commendata, plures habens nobiles infantes in vtroque sexu: quorum vnus, qui fere continuo residebat in domo, tantam familiaritatem, instigante maligno spiritu, contraxit cum quadam iuencula, figens in illam cor suum & affectionem per inordinatum amorem, [iuuenem illecebris carnis irretitum,] quod post multa peccata commissa tam in vanis colloquijs quam in aspectibus & tactibus illicitis & inhonestis, deliberate mutuo consenserunt ad complendum peccatum. Nec retinebat eos, nisi quia non erat opportunitas loci nec temporis, quibus secrete nefas illud committere possent. Quibus perseuerantibus in illo damnabili proposito, venit quidam Religiosus, quem nobilis Domina miserat ad

visitandum prædictam ancillam Christi, quam singulari deuotione venerabatur, & amore cordiali diligebat, per quem ipsa trans mittebat dictæ Dominæ quamdam zonam, vnam videlicet cordulam, quam ipsa consueuerat portare super habitum: quam idem Religiosus dictæ Dominæ præsentauit in præsentia dicti filij sui, tentatione, de qua supra, vexati. Vnde valde mirabile certe: [missa zona sua emendat.] nam postquam vidit illam cordulam, subito fuit integre mutatus a mala voluntate, quam habebat, intantum quod cogebatur necessario fugere penitus & relinquere locum, in quo præfata iuencula præsens erat. Et si necessario constringeretur iuenculam adspicere, vt puta cum erat in societate prædictæ matris suæ, tristabatur multum & abominabatur eam adspicere, & moleste ferebat. Sicque præuisum est a Deo meritis ancillæ suæ, quod iuencula illa decenti matrimonio coniuncta fuit integra corpore; duoque simul tentati liberati fuerunt a damnabili perditione, totaque domus illa nobilis præseruata similiter remansit ab improprio siue confusione.

Annotata

In Vitis Patrum libro 2 auctore Ruffino cap. 9 agitur de Coprete Presb. & Patermutio: ex his vltimus, vt noctu ambularet, narratur solem stetisse, quod perperam priori Copreti, hic Coopericio dicto, attribuitur. Alij ab his SS. Patermutius & Copres Alexandriæ sub Iuliano Martyrium passi 9 Iulij.

Mortuus est Martinus Papa, 21 Februarij anno 1431, cui successor datus 3 Martij Gabriel Condelmerius, dictus Eugenius IV.

Eugenius Papa, vt Basileense Concilium abrogaret, aliud Ferrariam euocauit, & inde ob pestem grassantem Florentiam. Contra Basileenses in Eugenium sententiam

dixerunt & Amadeum Sabaudicæ Ducem (quem Viuiaci existens S. Coleta, ad se euocarat, & ne acceptaret, diu ante præmonuerat) Felicem V appellatum, elegerunt anno 1439, [Felix 5 Antipapa.] sed qui post Eugenij mortem sponte se abdicauit, a Nicolao V Eugenij successore in Cardinalium Ordinem adscriptus.

Claræ Labour de 7 nouitijs in conuentu Poligniacensi. Ita Abbauillæus pag. 218, vbi ex relatione Petrinæ nomina personarum & conuentuum assignat.

Torta panis Gallice tourte, artopyrus panis latior. [Torta,]

Pomposus, vanus. S. Augustinus in Psalmum 33. Qualis mors esse potuit in purpura & bysso? [pomposus,] quam sumptuosa? quam pomposa? Cæsarius Arelatensis homilia 14 scribit vestitum pomposum. Arator lib. 2 in Acta Apostolorum pomposum cothurnum. Sidonius lib. 4. epist. 9 pomposum incessum: & lib. 9 epist. 9 plura pompose scripta. [pompositas.] Legitur & pompositas apud Petrum Blesensem epist. 18.

CAPVT XVIII.

De virtute suæ veræ patientiæ, quam in persecutionibus suis seruauit indilate.

[185] Patientiæ virtus radix & custos est omnium virtutum: nam sicut radix portat plantam, ramos, folia pariter & fructus; sic omnes contrarietates, aduersitates, tribulationes & afflictiones per patientiam vtiliter & fructuose tolerantur. Exercitationes autem, quas in virtute patientiæ sustinemus, aut proueniunt a Creatore vel a creatura, vel ab inimico seu aduersario. * Nam, sicut inquit S. Gregorius, alia sunt, quæ sustinemus a Deo, alia quæ perferimus a proximo, alia quæ nobis inferuntur ab aduersarijs. Nam flagellationes a Deo, persecutiones a creaturis; tentationes habemus ab aduersarijs. Quantum

ad afflictiones & flagellationes, quas Deus immisit ancillæ suæ, clarum est, [Afflictiones a Deo immitti petit:] quod a principio seu a prima deuotione multum illas absentes desiderauit & præsentem amauit. Propter quod magis confortabatur & assimilabatur Saluatori suo, qui numquam habuit in hac valle miseriae nisi pœnas & afflictiones propter diuinum amorem. Nam honor & gloria sponsæ dicitur similitudo ad sponsum: quantas enim & quales infirmitates & pœnas dolorosas, anxietates spirituales & corporales, quanta martyria crudelia lætanter & patienter sustinere voluerit pro nomine Domini, [immissas fert patienter:] prolixum foret referre: pro quibus tamen numquam ostendit signum perturbationis vel impatientiæ. Interdum percipientibus grauem anxietatem eius, & dolorem intrinsecum & extrinsecum, pieque compatientibus eidem, dicendo sic, Heu Mater, quantas pœnas portastis! respondebat: Ego consueui me plangere de modico. [malefacientibus benefacit,] Et cunctis inferentibus sibi seu procurantibus persecutionem vel damnum aut tribulationem, cuiuscumque status aut conditionis existerent, secundum vocationem voluit pro posse, bonum reddere pro malo, se libenter offerens pro eisdem, aliquando caritatem prouidere de omnibus necessitatibus per totam vitam suam.

[186] De persecutionibus illatis a creaturis vel ab inimicis infernalibus sciendum, quod creaturarum persecutio procedit ab hoste maligno: quam procurabat per notos & familiares, aliquando per extraneos, [familiares sibi aduersantes suaviter emendat,] aliquando per diuites, aliquando per Clericos, & aliquando per nobiles. Nam per illos, qui debebant sibi esse familiares & amici, multa sibi discrimina contulerunt: pro quibus extrahendis de vitio ingratitude, pie ad se vocauit illos, collocarique fecit in suis conuentibus, & tantam exhibuit diligentiam circa salutem animarum suarum, quod suis sanctis precibus

aliqui sunt extracti de multis inconuenientibus sibi præparatis, scilicet de via perditionis corporis & animæ per tentationem diabolicam illis præparatæ: cum hoc etiam illis conferendo cuncta solamina corporalia siue spiritualia iuxta possibilitatem, humiliter & caritative. Licet autem ab eis illata sibi fuerint multa a disturbia afflictionum; maiora tamen fecissent, nisi Deus illam præseruasset: [de Dei offensa maxime afflicta:] plus tamen illa tristabatur de Dei offensa damnoque conscientiarum, talia malitiose sic inferentium; quam de cunctis persecutionibus sibi fieri possibilibus: finaliter tamen tales reueniebant ad notitiam eius meritis, & tristabantur de malitia præmonstrata.

[187] Et inter ceteros fuit quidam sibi familiaris, qui diabolica procuratione per aliquod tempus sic desolabiliter persequebatur eam, [ab amico in hostem mutato,] quod totum amorem pristinum peruertit in odium; sic quod nec de illa bonum audire, nec illi approximari poterat: & deforis aliquando veniens & appropinquans finibus conuentus, in quo morabatur ipsa, tantam concepit tristitiam quod sæpe reuertebatur foras, dedignans ad suam venerabilem præsentiam peruenire: & ita fuit excæcatus per tentationem, quod asserebat gratiam Spiritus sancti, nullatenus habitare in ea, sed bonum, quod Deus facere disposuerat, per aliam personam debere fieri, [grauia telerat] quam ipse reputabat esse magni meriti coram Deo: quæ quidem realiter erat ignara persona tam sensu quam intellectu. Et cum hoc etiam faciebat eam crudeliter & rude tractari cum disciplinis, interdum vsque ad effusionem sanguinis, & inhumaniter persequi. Quam persecutionem, licet sibi valde grauem, signanter per compassionem ad illatores malorum, dulciter & patienter supportabat absque resonantia cuiuscumque vocis, [cum summa patientia,] quantulamcumque prætendentis impatientiam. Multo plus enim tristabatur & dolebat de læsione

conscientiarum & damnis animarum [ista sibi mala] inferentium, quam de dolore vel pœnis suo corpori continuatis. Et sicut Saluator benignissimus orans pro persecutoribus, exauditus est pro sua reuerentia; pariformiter pro modo suo sic humiliter & efficaciter ipsa pro prædictis est deprecata, quod ad votum exaudiri promeruit. Et cognouerunt euidenter tentationem diabolicam, [precibus eum ad pœnitentiam adducit:] & excæcationem suam, per eius astutiam & perditionem animarum quam incurrerant: & exin per totum vitæ suæ spatium conceperunt contritionem & grandem displicentiam.

[188] A quamplurimis etiam extraneis passa fuit varias persecutiones, signanter ab vno viro magni nominis & famæ, cuius opera non correspondebant nomini; qui tam secreta quam publice non desinebat obloqui contra veram ancillam Christi, [patitur externos, grauiternocentes,] ipsamque vehementer impediens & multipliciter vexans, atque improprium inferens, viua voce dixit assertiue, quod eam per totum factum eius penitus esset destructurus. Cui respondit humiliter: Spero confidenter in bonitate Diuina, quod conseruabit ea, quæ per eum facta sunt. A nonnullis etiam Clericis fuit molestata: inter quos fuerunt duo residentes in eadem ciuitate, in qua per multos aduersarios multiformiter extitit impedita, variisque persecutionibus agitata. [hæreseos accusatur a duobus Clericis,] De quorum numero fuerunt illi duo, & principales super omnes, qui false cum indicibili malitia composuerunt quamplurimos contra eam articulos, pariter & contra totum eius factum, prætendentes ipsam esse hæreticam maleque sentientem de fide Catholica, sed & consentientem opinionibus Pragensium, cum pluribus alijs abominabilibus & detestabilibus articulis; quos publicauerunt coram omnibus ad maius impedimentum inferendum in suis sanctis actibus iam inceptis. Sed de

quibuscumque sibi prolatis conuitijs & illatis iniurijs numquam os aperuit ad aliquam querimoniam faciendam, sed omnia dulciter & patienter sufferebat. Verumtamen si Sancti & electi Dei in suis persecutionibus sileant, non tamen minus timenda sunt iusta iudicia diuina: nam vnus illorum videns se defraudatum a suo malo desiderio, præsumptuose recessit a dicta ciuitate, sperans alibi facere residentiam; [mox morte a Deo punitis:] sed satis cito post vitam terminauit. Alius qui remansit grauiter infirmatus, varijs angebatur doloribus, multoties pijs vocibus reclamans nomen ancillæ Christi: quasi dicere vellet, quod, quia persecutus est ipsam iniuste, ideo ipse punitus est, & sic in anxietate dolorum finiuit annos suos.

[189] Nonnulli etiam mundani diuites, virtutem suæ sanctitatis & Euangelicæ paupertatis ignorantes, visi sunt aliquoties ipsam diffamare, [detrahitur vt aurum & diuitias possidens,] multipliciter eius famam denigrando, verbis iniuriosis dicentes: quod erat mulier ditissima, auro, diuitijs & argento plenissima, mutuans ad vsuram, & manu tenens tria vel quatuor cambia, scilicet Parisijs, Brugis, & Gandavi: mentientes false de ipsa & iniuste, [& cambia tractans:] quia cor suum sic fixum erat & feruens in amore sanctæ paupertatis, quod facilius se viuam permisisset excoriari, quam consensum præbere tali meditationi. Multi etiam nobiles & potentes, ad instantiam aliquorum minus bene conditionatorum, conati sunt sibi inferre vexationem & importabilem tribulationem, ratione cuiusdam habitationis, quam ipsi volebant ad alios vsus applicari, [in domiciliij amittendi periculo,] quam fieri deberet. Cuius rei causa multa coadunauerunt contra paruulam ancillam Christi Iesu Domini nostri: qui taliter in suis providere dignatus est, de remedio conuenienti ad laudem & honorem & gloriam nominis sui, quod principales actores in breui tempore defuncti sunt. Quas quidem persecutiones & alias quasi innumerabiles, [diuinitus adiuuatur, actoribus mortuis.]

velut agnus qui ducitur ad occisionem, dulciter & patienter sustinuit atque portauit, amore illius agni simplicis & innocentis absque macula peccati, qui plura pro nobis sustinuit in vna die, quam nos pro eo ferre possemus cunctis diebus vitæ nostræ: ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Annotata

Gallice destoubiers: impedimenta & remoræ rebus agendis iniectæ.

Bohemiam, & in ea regiam vrbem Pragam occupabant infecerantque eo tempore hæretici Hussitæ.

CAPVT XIX.

De suorum consummatione dierum, & obdormitione corporalis mortis.

[190] Postquam ad complementum ætatis sexaginta sex annorum peruenit humilis ancilla Christi Coleta, [Senex, fractis viribus,] quatenus ad perfectissimæ perseuerantiæ coronam pertingere mereretur, quamuis multum esset debilis & tenuis corpore, tum propter antiquitatem & infirmitatem, tum propter graues pœnas, quas passa fuerat & quotidie patiebatur iuxta diuinum beneplacitum; nihilominus tamen præsto penitus incipere denuo bene facere, tamquam si fortis & potens esset, & tamquam si nihil vmquam aliquid perfectionis egisset, [conatur instar puellæ laborare:] numquam recusauit aliquid facere; nec quantumcumque fatigata laboribus & pœnis diuersis, desiuit esse parata recolligere vires, & se totam exponere pro factis, tangentibus diuinum amorem & salutem animarum. Multoties cum disponderet ab aliquo conuentu discedere, pro complendis vel agendis operibus Dei, tam debilis apparebat, quod vix se poterat sustinere: nec videbatur transducibilis ad quartam partem leucæ, quin

spiritum exhalaret: nec tamen minus propter hoc desinebat assumere pœnas & labores ob diuinum amorem; asserens se omnino paratam mori iuxta diuinam voluntatem, siue in campis siue in villis indifferenter. Cum autem sui comites itineris sic fatigabantur præ nimietate laboris, quod cum difficultate vix respirare valebant; ipsa sola persistebat viuax, vigilans & constans, & infatigabiliter laborans propter Deum, velut omnino recens: & per totum vitæ suæ spatium colere non cessauit vineam Domini, id est, Ecclesiam militantem: in cuius plateæ medio situata est sancta Religio, quasi quædam plantula valde fructuosa.

[191] Certe quam diligenter & perseueranter laborauit ipsa, donec peruenit ad finem nobilissimum & vltimum decessum: quem inquam, [præscit mortem,] decessum ipsa per prius nuntiauit & prædixit. Nam primitus dixit se non victuram per biennium, quod nec fecit: consequenter alias dixit, quod vita sua non esset longa: & fere per spatium trium hebdomadatum ante dictum decessum, dixit determinate, quod ipsa tendebat ad Dominum Deum suum: & conuocauit Sorores, exhortans & admonens eas multum cordialiter & affectuose, [adhortatus suas:] quod essent veræ & perfectæ Religiosæ, Deum timentes & amantes super omnia, Regulam obseruantes & declarationes eiusdem, fideliter reddentes ei quidquid vouerunt, cum pluribus alijs salutaribus admonitionibus. Quibus completis, prædixit illis modum suæ diffinitiuæ consummationis, sic inquiring: Non attendatis me dicturam aliquid vobis in transitu meo, quia nec aliquid dicam nec vobis loquar.

[192] Post hæc Patri suo dixit inter cetera, vnum sibi alias per ipsam patefactum, videlicet de reformatione Religionis nostri Patris Francisci, quod videlicet ad hoc constrinxerat eam Dominus, vt supra patet quinto Capitulo. Cuius fuerunt hæc verba: Pater mi, inquit,

quidquid ego feci, ex parte Dei feci: & licet ego sim vna magna peccatrix & tota defectuosa, si iam essem adhuc factura, nescio quomodo aliter facerem quam feci. Die vero XXVI mensis Februarij, [confessa, accipit sacram Eucharistiam, 26 Februarij:] quæ fuit dies Dominica, mane fuit confessa & recepit in Missa cum deuotione permaxima pretiosissimum Corpus Domini nostri Iesu Christi. Tandem nocte sequenti fuit ab eodem Domino specialissime visitata: post quam visitationem redacta fuit in statu infantia & quasi innocentia, nec sollicitabatur de quibuscumque mundanis, præterquam de Deo, [visitatur a Christo;] vocaliter ipsum orando siue mentaliter. Et postmodum accidit sibi quædam debilitas insolita, pro qua dictus Confessor pertimuit, quod migraret ad Dominum: & propter hoc ministravit sibi Sacramentum extremæ Vnctionis. Postmodum vero legit sibi sanctas Passiones, in quarum fine percepit, quod nondum venerat finis, & idcirco recessit ab eius præsentia. [magis infirma inungitur:]

[193] In crastinum secunda feria dictus Confessor ad eius oratorium accessit, Missam celebraturus more solito coram ipsa, quam optime reperit dispositam ad audiendam illam, [sex proximis diebus quotidie audit Missam:] iuxta consuetudinem tempore sospitatis: satis admirans quomodo sic in breui tempore fuerat restaurata (quod fieri non poterat sine speciali gratia Dei) dicta Missa celebrata, per eamque deuote & multum reuerenter audita, nec non Corpore Christi pretiosissimo cum inundantia lacrymarum adorato. Similiter etiam per totam hebdomadam vsque ad Missam diei Sabbati quam deuotius cum maiori abundantia lacrymarum auscultauit: & illa fuit vltima, quam audiuit, die videlicet quarta mensis Martij. Sabbato quatuor Temporum Quadragesimæ. Et est sciendum, quod post præfatam visitationem quatuor habuit specialiter memoria digna; primo quamdam pœnam grauem & insolitam, quæ sibi

duravit vsque ad vltimum suspirium; secundo, quod totum tempus volebat occupari circa sacrificium orationis, nec ad aliquid aliud intendere volebat; tertio, quod omnibus diebus illis audiuit indesinenter Missam sanctissimam cum deuotione & reuerentia magna: quarto quia, quamuis non exiret oratorium, plane tamen omnia noscebat, quæ fiebant in toto conuentu, sicut fecisset si cunctis adfuisset. Nam prædictus Confessor & eius socius, [cognoscit Confessarium & socium aduenisse:] nolentes quouis modo, quod ipsa redderet spiritum in eorum absentia, intrauerunt monasterium nec venerunt indilate ad eius præsentiam: sed ipsa mox cognouit, & plane dixit, quod ipsi erant intus. In vespera feriæ sextæ, dulciter & consolabiliter Fratres allocuta est. In Sabbato post Missam ab ipsis humiliter accepit licentiam: & oratione completa satis cito accessit ad cubile, signans se signo sanctæ Crucis, quam ita care dilexerat, & dixit: Ecce extremum cubile, ponens se desuper sic induta, [accepta licentia vltimo lectum ingreditur:] sicut consueuerat, per seipsam tegens caput velo nigro, quod a Sancto Domino nostro Papa recepit in eiusdem capitis velamine, cum ab eodem induta professaque fuit, ac in Abbatissam instituta. Modo, quo prædixerat, ita compleuit, mox clausit os suum & oculos vltra non aperiendos: verumtamen omnia, quæ fiebant, plene cognoscebat, vt dictum est. Nam pro consolatione attulerunt ei quoddam auriculare de pluma, quod statim cognouit, & illud reiecit.

[194] Quadraginta octo horis finaliter supra dictum cubile permansit, nihil loquens aut videns, nec gestum aliquem seu a maneriem aut signum faciens, nec in facie nec in alijs membris, [immota 48 horis,] præter omnimodam honestatem & sanctitatem absque mutatione coloris, in pœna, quam sibi Deus in illo puncto contulerat. Feria vero secunda subsequenti, quæ fuit sexta dies Martij, [moritur anno 1447 6 Martij, feria 2, hora & matutina,] Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo

septimo, hora videlicet octava ante meridiem, in presentia Religiosarum omnium conventus Gandavi, suique Patris Confessoris cum eius socio, terminavit dies suos humiliter & virtuose. Cuius anima sanctissima dulciter a suo pretioso corpore abscessit, tendens recto tramite ad Deum Creatorem suum, recolligenda caelitus per Angelorum cuneos, & sicut indubitanter credimus, corona gloriae caelestis in perpetuo laureanda.

[195] Mansit autem in colore, quo discessit, post transitum per duodecim horas. Postmodum vero subito corpus illud transmutatum fuit in admirabilem pulchritudinem. Erat enim albissimum, sicut nix, & venae apparebant per medium albedinis, sicut purum asurium, & omnia membra pulcherrima, munda similiter & ductibilia, pro libitu tractibilia, redolentia mirabiliter & diffundentia suavitatis odorem, [corpus post mortem pulchrius redditum,] tamquam plene repraesentantia statum innocentiae, totalis verae munditiae sive puritatis. Propter quae plusquam triginta millia personarum visitauerunt eam, quidam ex devotione, alij ex admiratione. Tertia die post transitum eius, [a 30 millibus hominum visum,] corpus illud pulcherrimum & virgineum traditum fuit Ecclesiasticae sepulturae, modo quo mandauerat absque mutatione. Volebat enim quod adinstar Domini Salvatoris, qui velut pauper in aëre pro nobis mori dignatus est absque tegumento, [sepelitur:] sic pariformiter sepeliretur pauperrime, simpliciter sine cooperimento, nec non absque feretro, sed solum in aëre, videlicet in prato claustrum, reddereturque corpus terrae matri eius, unde primo processit, nihil amplius addendo.

[196] [mors ab Angelis concinentibus nuntiata;] In nonnullis autem conventibus ab ea specialiter dilectis, propter specialem praerogativam sanctae paupertatis, in illis singulariter relucens, in hora sui transitus audita fuit Angelorum multitudo dulciter resonantium cum inaudita

melodia. Inter quos singulariter vna vox Angelica fuit a quibusdam audita, dicens: Venerabilis Religiosa Soror Coleta migravit ad Dominum. [apparet tertio Religiosæ recitanti 100 Pater noster,] Item in quodam alio de conuentibus suis, erat inter ceteras quædam deuota Religiosa, quæ præ ceteris afficiebatur ad eam: cui tempore sui decessus in regione persistenti longinqua, ante noctis medium dicenti videlicet centum Pater noster, apparuit sibi trina vice multum gloriose, demonstrans ei totam personam suam visibiliter valde pulchram & splendidam; verumtamen faciem videre non potuit propter excessiuam claritatem, ad modum solis in sui capitis vertice splendide radiantem. Quæ quidem visio fiebat per hunc modum: nam præfata Religiosa persistebat in dormitorio prope quamdam fenestram, quam faciliter aperire valebat. Per quam fenestram vidit ancillam Christi se sibi demonstrantem in loco sui quondam oratorij, cum luminosa claritate iam dicta, recitante prædicta Religiosa dicta centum Pater noster.

[197] [alteri, recitanti 6000 Ave Maria,] Pariformiter in quodam alio conuentu, satis distante a loco sui transitus, quædam Religiosa feruenter optabat illam videre, pro quo fundebat continue preces ad Virginem gloriosam, quatenus eius cordi dignaretur imprimere voluntatem visitandi conuentum illum, in quo dicta Religiosa moram trahebat continue; & inter ceteras orationes præsentavit sibi sex millia Ave Maria, pro eo quod numquam viderat Matrem. Et apparebat sibi, quod si vidisset eam per spatium vnus horæ, semper sibi prodesset: & per diuinam bonitatem, intercessione mediante gloriosissimæ Virginis Matris, non fuit a suo deuoto desiderio defraudata: nam nocte, qua ancilla Christi decessit, post Matutinum ter audiuit percuti ad oratorium dictæ ancillulæ, taliter quod fuit penitus excitata audiuitque ostium oratorij realiter aperiri, atque iterum claudi: [apparet in oratorio primum,] & post hæc adspexit quamdam pulcherrimam &

venerabilem Dominam Religiosam, decentissimæ staturæ tamque placabilis pulchritudinis quod nesciret recitare, quia mirabiliter & clare lucebat: & erat facies sua tota lucida, velut quædam crystalli claritas contra solem: quæ Religiosa venerabilis ter deambulans per oratorium se manifestavit eidem. Et postmodum videbat post ipsam vnum pulcherrimum infantem paruulum, [cum infante pulcherrimo,] similiter in facie renitentem, qui sic dicebat & dictum replicabat: Ecce Soror Coleta: Ecce Soror Coleta.

[198] Postquam vero Religiosa sic expergefata talem vocem audiuit, & vidit illam, quam sic optabat videre, læta nimis effecta menteque consolata, clamare cupiebat ceteris Sororibus dicendo: Respicite: Respicite. Et nequiuit os suum aperire. Propter quod tunc cogitare cœpit, quod Mater sua Coleta conuentum illum pro tunc visitare decreuerat, sicut audiuerat alias dici de ipsa, cum adhuc esset nouitia: quia licet non visitaret conuentus corporaliter, visitabat tamen spiritualiter: propter quod arbitrabatur, quod faceret visitationem: & postquam ipsa venit ad portam dormitorij, ipsa penitus evanuit. In crastinum autem Religiosa prædicta, cui monstrata fuerat visio circa horam Tertiarum, quæ quidem erat propria decessus ancillæ Christi gloriosæ, sola decreuerat ecclesiam introire, pro præsentando preces deuotas coram Domino. Et statim, [dein in ecclesia, in suavissima musica:] postquam genu flexit, audiuit in grandi multitudine voces altas & claras, quæ magis videbantur Angelicæ quam humanæ: & cum hoc erant dulces & placabiles & perfectissimæ, delectabiles ad audiendum, sic quod videbatur sibi quod dulciores in mundo voces audiri non possent: & eleuans in altum faciem, & dirigens oculos in cælum, vidit faciem lucidam & splendentem venerabilis Religiosæ, quam viderat post Matutinum, quæ facies, vt sibi videbatur, stabat in medio sic melodiose cantantium. Et quamuis pro tunc de

prædictis nihil cognosceret, perpendit tamen & pie credidit quod illa foret venerabilis Religiosæ Sororis Coletæ rutilans anima, quam Angeli sancti lætanter deferebant ad regnum Paradisi.

[199] Item in quodam de suis conuentibus erat vna Religiosa, quæ tempore, quo dicta ancilla decessit, vacabat orationibus, & vidit in spiritu quãdam venerabilem, placidam & deuotam processionem: [tertiæ apparet in comitatis Christi, Deiparæ & Sanctorum,] vbi cum persona Domini nostri Iesu Christi suæque gloriosæ Virginis Matris, erat multitudo mirabilis Angelorum, Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & abundantia magna Fratrum Minorum & Sororum sanctæ Claræ, multum composite ordinatorum, & ditissime similiter ornatorum; qui simul omnes cantabant gaudenter & ita melodiose, quod numquam ad eius arbitrium talis nec similis melodia fuerat audita. In cuius processionis medio videbatur anima dulcis & humilis ancillæ Christi præcellenter, clara & pulcherrima, multo lucidior & splendidior sole: quam omnes prædicti cum inenarrabili lætitia & indicibili reuerentia perducebant ad gaudia Paradisi. Et satis cito post prædictam processionem sequebatur multitudo quædam alia virorum & mulierum de cunctis statibus, [sequentibus animabus] qui videbantur fuisse detenti vel captiui seu incarcerati, iunctis manibus & capitibus inclinatis humiliter incedentes: inter quos dicta Religiosa vidit matrem suam carnalem lætam & iucundam, a qua requisivit qualiter erat illi. Cui respondit mater, quod valde bene: recitando qualiter prima processio fiebat propter animam ancillæ Christi, quam sic iucunde reuerenterque perducebant ad regnum cælorum: [per ipsam expurgatorio liberatis:] secunda similiter erat animarum hactenus detentarum in pœnis purgatorij, quæ fuerant expeditæ meritis & intercessione eiusdem ancillæ Christi. De quarum numero

fuerat ipsa, quæ loquebatur, quæ omnes sequebantur eam ad gaudia sempiterna.

[200] Insuper quædam alia deuotissima persona, magnæ pœnitentiæ & austeritatis, [a quarta videtur ab Angelis in cælum deportari.] nec non & laudabilis perfectionis, in suo raptu vidit vnam grandem multitudinem Angelorum gaudentes, & melodiose suam gloriosam animam velociter deportare ad regnum Paradisi. Cuius nos participes meritis & intercessionibus ancillæ suæ gloriosæ dignetur efficere benedictus Iesus Dei filius, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & imperat in Trinitate perfectissima Deus vnus, verus, æternus, omnipotens, altissimus Dominus per infinita secula seculorum. Amen.

Annotata

[Asurium.] Asurium, cæruleum, e voce Gallica azur formatum.

CAPVT XX. De miraculis.

Prologus

[201] Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei gloriosissimæque Virginis Matris Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, subsequenter hic recitanda sunt aliqua de miraculis, quæ dignatus est Altissimus operari per medium ancillæ suæ Sororis Coletæ, dum adhuc viueret in præsentis seculo: primo de mortuis per eius merita suscitatis, [In vita variis claret miraculis:] secundo de mortis periculo liberatis, tertio de incarceratis pene expeditis vel in carcere confortatis, quarto de mulieribus a partus periculo liberatis, quinto de oculis infirmatibus pristinae sanitati restitutis, sexto de rabidis & dæmoniacis

ab hoste maligno vexatis ad plenam sospitatem reductis, septimo de diuersis infirmitatibus reiectis & fugatis.

§. I De mortuis per eius merita suscitatis.

[202] Iuxta Doctoris egregij Augustini sententiam maius est animas a morte culpæ liberare, quam corpus a morte naturali suscitare. Vtrumque tamen in sola Dei virtute consistit, sine qua nil tale potest aliquo modo fieri: qui sua benignissima misericordia pluribus vtrolibet modorum prædictorum dignatus est suam gratiam impartiri, precibus & meritis suorum Sanctorum & electorum siue Sanctarum electarum. Inter quos & quas condescendere dignatus est ad deuotas orationes & obsecrationes sanctissimas humilis ancillæ suæ Sororis Coletæ, [A morte animæ suscitati plures:] suscitando plures animas a morte culpæ siue peccati, reducens, eas ad vitam spiritualem gratiæ, quæ maior est quam vita naturalis. Et quamuis principalis & maior ex illis, suscitatio videlicet a morte culpæ vel a labe criminis, ad vitam spiritualem Deo gratam, per eius medium facta fuisse probari possit in multis notabilibus & diuersis personis; minor tamen, scilicet corporalis, [a morte corporis quatuor.] exhibita pro nunc per eius merita recolitur in quatuor præcise. Quarum prima extitit filia de ciuitate Bisuntinensi, quæ nata primitus mortua, cum quadam fiducia quod reuiuisceret, fuit per parentes ad ecclesiam deportata. [1 puella ante baptismum mortua,] Comperto vero quod fuit penitus mortua iuxta fontes baptismales, indilate reportata fuit absque baptismo: quæ sic extincta, cordialiter precibus & meritis humilis ancillæ Christo recommissa, quodamque velo siue capitegio suo diligenter & acquire procurato, subtiliter inuoluta, confidenter ad ecclesiam delata, ac viuens reperta, atque per Dei gratiam & eius ancillæ merita sacro fonte baptismi regenerata est, & suo nomine, [adultæ ad Ordinem recepta,] videlicet Coleta, similiter nuncupata.

Consequenter autem in ætate condecienti suæ matrinæ conspectui pro Religionis ingressu suppliciter & deuote præsentata, & fauorabiliter recepta postmodum, atque professa, perseueravit in vita laudabili, [dum Vita scriberetur: superstes,] precibus ac meritis & dogmatibus prænominatæ matris vsque in præsentem diem, & vocatur Soror Coleta de Pruceto.

[203] Secunda similiter persona, quæ suis sanctis intercessionibus suscitari meruit, fuit quidam iuuenis, nominatus Ioannes Burseti de eadem ciuitate Bisuntinensi, [2 Ioannes Burseti, etiam superstes ciuis Vesuntionensis:] nunc superstes burgensis & ciuis notabilis ibidem. Qui recognouit & asseruit cum sibi attinentibus & notis, quod per merita sanctasque preces ancillulæ Domini fuit resuscitatus. Et est notorium Fratibus & Sororibus, licet de modo non sit ita notum mihi, propter quod scribere non valeo secure. Tertius vero resuscitatus fuit infans mortuus antequam baptizatus, sicque sepultus absque baptismo: [3 infans sine baptismo sepultus,] de quo non parum doluit ancilla Christi, & fecit tantum quod dictus infans in terra profana sepultus, fuit exhumatus, & ad eius præsentiam delatus, & suis sanctissimis precibus viuificatus, & consequenter fonte sacri baptismatis renatus, vixit exin per medium annum. Qua de caussa nobilis quædam Domina Militissa ipsum nutrire decreuit in signum tanti miraculi iam dicti. [ad medium annum reuixit:]

[204] Quartus fuit quidam Frater Minor, dictus Frater a Franciscus Clareti, qui per triginta annos & vltra mansit cum ea, [4 Franciscus Clareti Minorita,] conferendo cordialiter & caritative quamplurima subsidia, consolationes spirituales, & adiutoira seu vtilia seruitia tam sibi quam conuentibus suis. Qui quidem incidit in vnam grauem infirmitatem in quadam villa Lugdunum-Saluerij, intantum quod æstimabatur mortuus omnino, pro

talique de post se penitus reputabat. Post quam mortem iuxta iudicium conscientiae suae sibi videbatur, quod duceretur ante iudicium Dei pro captando gratiam & misericordiam, [attractus, adiudicium coram Sanctis,] consequenter ducebatur ante Virginem gloriosam, vltterius coram sanctis Apostolis, tandem coram Martyribus, postea coram sanctis Confessoribus, demum coram sanctis Virginibus. Et omnes vniformiter adiudicauerunt ipsum fore reddendum ancillulae Domini Sorori Coletae: praetextu cuius humilitatis, supplicationis & acceptabilis intercessionis anima dicti Fratris reuenit ad corpus & resurrexit. Satis etiam post haec fuit plene sospitati restitutus. [cum 2 aliis superstes:] De quibus inquam quatuor a morte suscitatis, tres adhuc supersunt incolumes & attestantes se meritis ancillae Christi fuisse resuscitados.

§ II De liberatis a mortis periculo.

[205] [A mortis periculo liberati,] QvAMPLURIMI per eiusdem ancillae Christi merita seu intercessionem, Deo placabiles & gratas, a mortis fuerunt periculo liberati. De quorum numero reuerendus Pater, de quo tactum fuit supra quinto capitulo: [num, 33 Presbyter in conventu Castrensi,] qui existens in conuentu Castrensi patriae Albiensis grauissimam incurrit infirmitatem mortalem. De qua quidem infirmitate, nec non & de fine dierum suorum, nisi Deus apposuisset remedium, ipsa manens in conuentu Lisiani, qui situatus est in Terra-bassa, non parum distans ab alio, plenam in spiritu notitiam habuit. Vnde valde tristis effecta, dolens & afflicta, facta primo diligentia sibi possibili de prouisione necessariorum pro salute dicti Patris, quamuis tempus importunum vigeret, festinanter se transferre fecit ad dictum conuentum Castrensem, vbi iacebat infirmus, pro sibi succurrendo facilius in tam extrema necessitate: quem reperit in puncto depositionis reddendi vltimate spiritum. Et statim recurrit ad

supremum medicum per deuotas & efficaces orationes, applicando vires vsque ad vltimum de potentia, intantum quod prima die Pater prædictus conualescere cœpit, sicque continuando per secundam & tertiam de bono in melius, [inde Lizianum missus:] sic incolumis effectus est, quod ipsum suis sacris meritis erutum, secum reduxit ad conuentum Liziani prænominatum.

[206] Item quidam Religiosus deputatus ad seruitium prædictæ Matris, [alius Religiosus,] propter pestem grauem tunc temporis vigentem, incidit in infectionem & infirmitatem mortiferam, sic quod nulla de ipso confidentia remanebat, quod aliquatenus posset euadere mortem. Et vltius duo notabiles Doctores in scientia medicinæ peritissimi, quorum alter erat Decanus eiusdem facultatis in studio Montispezzulani, pergentes visitatum quemdam præpotentem & excellentem Dominum in illa regione, pro tunc multum ægrotantem, deuotione permoti transitum fecerunt per locum, in quo residebat ancilla Christi, cuius obtentu visitauerunt prælibatum sic infirmum & infectum. Disquisito diligenter per omnes vias possibles secundum artem & scientiam prædictam, [a duobus Medicis depositus, termino vitæ indicato.] de facto iudicauerunt impossibile, quod euaderet, assignando sibi præfixum terminum, infra quem illum mori iuxta cursum naturæ necessarium erat. Quibus ipsa respondente, quod Deus est supra naturam, dixerunt quod verum est, sed nisi Deus ipse specialiter operaretur, impossibile est ipsum ægrotantem vltra præassignatum terminum pertransire. Mirabile dictu! Nam præfatus infirmus satis cito, meritis & precibus ancillæ Christi, licet a medicis adiudicatus morti, plene conualuit. Ipsi vero medici graui sunt infirmitate detenti, sic quod vnus etiam decessit; alter autem diu languens postmodum euasit, magnamque deuotionem ad ipsam ancillam Christi concepit.

Annotata

Henricus de Balma, eius Confessarius.

Lisianum, aliis Lesignanum in Occitania inferiore, quæ hic Terra-bassa dicitur, in diœcesi Narbonensi, [Lesignanum.] vbi conuentum a Iacobo Borbonio anno 1431 erectum, eiusque ecclesiam S. Annæ dicatam supra diximus.

§ III De liberatis a periculo aquarum.

[207] Nobilis & prepotentissima Domina supradicta Comitissa Gebennarum, [A periculo submersionis liberantur Comitissa Geniuensis.] quæ valde caritative receperat ancillam Christi in suis persecutionibus, semel transitum faciens per quemdam passum valde periculosum & ineuitabilem propter inundantiam aquarum; propter indiscretum conductum assumpsit dictum transitum a loco minus decenti; sic quod equus, cui insidebat, transportauit eam in vnam tam profundam & fortem atque periculosam aquam, quod a visu comitantium penitus abrepta, totaliter euanuit, & cum equo reputabatur simul submersa, nihil de vtroque visibiliter apparente. Sed humilis ancilla Christi, quæ nullatenus in tali necessitate sibi deficere poterat, pia benignitate commota, suum cor eleuauit ad Dominum per feruorem orationis, recommendans naufragantem misericordiæ Dei: cuius beneficio meritis Matris gloriosæ, dicta Domina peruenit ad ripam absque damno pariter & læsione.

[208] Altera quadam vice, cum ipsa pergeret ad vnum de suis conuentibus, aquæ sic mirabiliter inundauerant, signanter fluuius dictus Dubius, qui transit per Bisuntium & Dolam; per quem quidam honorabilis vir vnam Religiosam traducens super equum suum, ita profundatus est in quodam passu periculosissimo, [vir in equo cum

Religiosa:] quod propter violentiam aquæ conglomerati deducebantur volutando per aquam, & reputabantur ab intuentibus omnino submersi. Tunc ancilla Domini clamabat alta voce suppliciter, deprecans adiutorium diuinum, sic dolens & eiulans quod a Deo meruit exaudiri. Nam aqua ambos sospites perduxit ad ripam, & suis precibus liberati sunt a periculo submergendi.

[209] Vterius quadam vice Doctor ille Theologus, [Doctor Theologus,] de quo mentio fuit facta in capitulo de dono Prophetiæ, intravit quamdam ripariam, & intantum processit, quod venit in vnam profundam abyssalem foueam simul cum equo suo. Qui dum plus conabatur egredi, plus profundabatur, taliter quod nullum apparebat sibi remedium opportunum, nisi quod reduxit ad memoriam merita bonæ Matris, cuius confidenter suffragium & adiutorium coram Domino suppliciter implorare cœpit in tali necessitate mortali, que non defuit: nam statim per Dei misericordiam tam ipse quam equus salui & liberi venerunt ad ripam.

[210] Quidam nobilis vir, de patria Burgundiæ natus, & devotus ancillæ Christi Coletæ, [nobilis Burgundus:] vnam pertranseundo ripariam, ex improviso cecidit in quamdam profundam foueam vna cum equo suo, taliter quod arbitraretur omnino se fore submersum: qui se recommendans affectuose Deo, meritisque & precibus suæ humilis ancillæ, statim similiter se reperit omnino liberatum, & positum extra aquam, vnde nec immerito maiorem ad eam exinde concepit deuotionem.

[211] Aliud miraculum ad idem propositum accidit post eius decessum. Nam post transitum eiusdem Matris ad Deum suum, quidam nobilissimus, & præpotentissimus Princeps, videlicet Dominus Comes Marchiæ, destinabat ad villam Gandensem quemdam Sacerdotem suum, qui vocabatur Dominus Ioannes Moulines, qui sæpius ex

parte dicti Domini viuentem ipsam visitauerat: & peruenit ad quamdam villam, Gallice vocatam d Moneton sur Chier: vbi riparia sic erat alta, [Sacerdos a Comite Marchiæ ad eam iam mortuam missus.] quod superfluebat penitus extra ripam, nec quisquam audebat ibidem pertransire sine vehementi formidine discriminis euenturi. Quorum ignarus prælibatus Sacerdos, attentauit ingredi, faciliter æstimans se peruenturum ad pontem: sed præuentus impetu supereffluentis aquæ, transductus fuit violenter ad brachium principale dicti fluminis. Quo plene recognito, laxabat habenas, qui statim cum equo, tunica & mantello, calcaribus, ense similiter & ocreis, se reperit in profundum: qui confestim inuocare cœpit gloriosam ancillam Domini, prorumpens in hæc verba: O gloriosa Mater mea, cum ego nunc accedam visitatum vos post decessum vestrum, oportetne quod hic moriar? Vnde casus mirabilis. Nam verbis prolatis incontinenter reperit sub pedibus suis vnum terræ monticulum, qui numquam ibidem inuentus fuerat, competenter magnum & sufficientem pro sustinendo pariter & conseruando personam suam cum omnibus rebus a submersione: super quo monticulo se tenuit, quousque nauta quidam cum naui venit ad ipsum: qui firmiter asserebat, quod numquam ille paruus mons ibidem fuerat repertus.

Annotata

Eadem vox repetitur num. seq. & satis indicatur non intelligi ipsum fluuium, [riparia] qua pleno alueo profundus voluitur, quem quidam barbaris seculis riueram etiam dixere: sed sinuosum intra ripas tractum, qui aqua nunc abundante nunc deficiente vel oppletur vel destituitur, plerumque innoxius transire compendij caussa volentibus, & equos adaquaturis opportunus.

§ IV De incarceratis plene expeditis vel confortatis.

[212] Inter ceteros a carcere liberatos vel confortatos ibidem per ancillam Christi Coletam, fuit quidam notabilis Religiosus Ordinis Fratrum Minorum, summe desiderans exaltare sanctam fidem Catholicam, [Minorita a Saracenis carceri in reclusus,] propter quam feruenter optabat seipsum in sacrificium Deo offerre per martyrium, si reperisset opportunitatem condecentem. Pro cuius executione diligenter accessit ad partes infidelium Sarracenorum: a quibus tandem captus extitit, & ligatus crudeliter, ac diro carceri mancipatus. In quo quidem terribili carcere, [a S. Coleta inuisente intelligit se liberandum:] prout ipse postmodum asserebat, ancilla Christi prædicta consolabiliter & benigne visitauit eum & miraculose, manifestans ei quod in breui liberaretur ab illo carcere saluus & incolumis, eo quod Deus præseruabat eum ad aliud opus, & maius illo quod ipse peroptabat.

[213] Aliud miraculum. In quadam villa prope conuentum quemdam Sororum S. Claræ, & filiarum ancillæ Domini S. Coletæ, quidam erat carcer terribilis & horribilis, inhabitatus & frequentatus a dæmonibus infernalibus, irrefragabiliter affligentibus pauperes captiuos, incarceratos ibidem, & illis desolationem importabilem inferentibus, [dæmones infestantes captiuos] specialiter a crepusculo noctis vsque ad illam horam, qua trahebatur campana dicti conuentus pro Matutino. Sed incontinenti postquam Religiosæ præfatæ campanam illam pulsabant pro diuino officio persoluendo, dæmones territi fugabantur, cessabantque pauperes vexare in carcere detentos. Propter quod captiui nationis alienæ requirebant, [fugantur ad sonitum campanæ conuentus S. Coletæ;] quæ campana foret, quæ tantum eis refrigerium conferebat & consolationem: & habito responso, quod erat campana Religiosarum ancillæ Domini Coletæ, Deum laudantes nuncupauerunt illam campanam benedictionis.

§ V De mulieribus liberatis a periculo partus.

[214] In ciuitate Bisuntinensi quædam nobilis mulier multum anxiebatur, [In periculo partus liberantur nobilis Vesontionensis,] præ nimio dolore laborans in puerperio, nec erat spes, quod vita salua parere posset, quin tam ipsa quam fœtus omnino periclitaretur. Sicque vehementer & intolerabiliter afflicta mulier illa, recommissa fuit affectuose precibus ancillæ Christi Coletæ, quæ tam feruenter se totis viribus applicuit ad orandum Altissimum, quod per Dei gratiam & eius preces & merita, mater incolumis infantem viuum peperit & ille sacro fonte baptismatis regeneratus, vltius superuixit.

[215] In quadam alia notabili villa patriæ Burgundiæ fuit vna nobilis Domina burgensis, quæ pluries conceperat fœtus, [nobilis Burgunda, vt fœtum perfectum ederet:] quorum nullum ratione cuiusdam specialis infirmitatis perduxerat ad debitum terminum, & mors præibat natiuitatem: vnde nimis dolens & tristis peruenit ad notitiam ancillæ Christi Coletæ, & venit ad eam intimans sibi factum, cordialiter se recommendans suis sanctis orationibus: quarum virtute promeruit obtinere gratiam Dei, taliter quod exinde fœtus eius debitum compleuerunt tempus, & viuentes nati sacrum baptisma susceperunt, vnde concepit ad eam grandem amorem & deuotionem sæpeque visitabat eam. Imposuit insuper vni de filijs suis nomen sanctissimi Patris nostri Francisci.

[216] In Aruernensi patria, locoque de Aqua-Spersa quædam erat iuencula valde laborans in parturitione, nullatenus valens expediri, securior de morte quam de vita, iuxta proprium & etiam alienum arbitrium, [Aruernensis fæmina,] tam pro matre quam pro puero. Quæ, inquam, parturiens & laborans habebat fratrem Sacerdotem honestæ conuersationis & bonæ vitæ, [fratre Sacerdote confugiente ad merita S. Coletæ:] qui cum

magna fiducia recommendauit eam Domino Iesu, suæque gloriosissimæ matri Virgini Mariæ, humiliter & supplicans & obsecrans quatenus per virtuosa merita suæ gloriosæ sponsæ, Sororis Coletæ, eius paupercula soror a tanto periculo liberaretur: quæ mox salubriter fuit expedita.

[217] Item quædam mulier, nomine Stephana, vxor Ioannis Coraldide villa Poliniaci, quadam vice parturiens dolescebat: cuius vir supradictus, accessit ad præsentiam sanctissimæ Matris Sororis Coletæ, pro tunc ibidem desidentis: supplicans affectuose, [alia Poliniaci,] quatenus effunderet preces ad Dominum pro suæ parturientis vxoris expeditione: [marito accurrente ad S. Coletam:] quo sic proloquente, peruenit nuntius illum requirens, vt festinanter veniret. Nam puer nascendus sic erat ex transverso dispositus, quod, vnde caput deberet egredi, brachium apparebat. Propter quod iudicabatur fore necessarium, quod mater scinderetur ne partus periclitaretur, & ad hoc fuit accersitus chirurgus de facto. Postquam prædictus Ioannes regressus est ad domum, expertus est de calamitate facti, spem suam figens in orationibus prælibatæ Matris Coletæ, iterum reuersus est ad illam non absque mœrore, explicans ei omnia. Quæ dulciter illum confortauit, dicens: quod accederet ad vxorem suam, & quod remitteret sibi personam aliquam, confidens in Domino; quod & factum est. Et interim ipsa preces devotas obtulit ad Dominum pro deliberatione iam dicta, moxque vocauit mulierem a dicto Ioanne sibi missam, & de parentela sua, dicens illi per hunc modum: Amica mea, recedatis, quia iam fecit Deus misericordiam suam cum vxore Ioannis Coraldi, quæ peperit vnum pulchrum filium, & ita fuit. Nam baptizatus per quinque menses & vltra superuixit.

[218] Alia quadam vice dicta Stephana grauem incurrit capitis infirmitatem, ad hoc deducta, quod tota stolidam, [quæ & grauissimo capitis dolore liberata.] quin imo

penitus rabida, monstrabatur. Quod videns dictus Ioannes maritus eius, perducere fecit eam ad præsentiam gloriosæ Matris Virginis Coletæ, quam ipsa visam increpare cœpit, asserens quod ideo, quia non fuerat confessa, deciderat in illam infirmitatem; & fecit vocari Fratrem Henricum de Balma, disponens quod sibi confiteretur, ipsa nihilominus simul orante deuotissime pro illa. Quo peracto, plene restituta fuit sanitati.

§ VI De oculis infirmis perfecte sanatis.

[219] Sicut patet in præcedentibus inter omnia corporis membra, mater gloriosa plus diligebat oculos, propter adspectum Eucharistiæ sacratissimæ & sacrarum Scripturarum, [A læsione oculi liberatur S. Coleta:] in quibus dolores innumeros passa fuit & graues læsiones, intantum quod vespere quodam vnus oculorum suorum perditus omnino videbatur, & impossibile quod vnquam per illum inspicere posset. Vnde Fratres & Sorores hoc intuentes, valde tristes erant & desolati. Mirabile dictu! Nam sequenti mane dictus oculus, qui sero sic erat infirmus, ita pulcher, mundus & integer est repertus, sicut fuerat vnquam. Deinde qui prius tristabantur, valde gauisi sunt.

[220] Quidam puer nobilis ex quadam leuitate percussus, & læsus extitit quodam calamo ferreo acuto, [& puer nobilis,] sic intime per eius oculum profundato, quod totus madidus sanguine iudicabatur numquam ex illo visurus. [facto ab ea signo Crucis:] Qui tandem deportatus ad Matris præsentiam, facto signo Crucis ab ea supra dictum oculum, statim fuit sanatus.

§ VII De rabidis & dæmoniacis ab hoste maligno vexatis, ad plenam sanitatem reductis.

[221] Illa nobilis mulier, quam ancilla Christi præmisit ad præsentiam Domini Pontificis, [Liberantur rabidæ,] ad annuntiandum aduentum suum, sicut patet in præcedentibus, taliter vexata fuit ab hostibus malignis, [nobilis mulier,] duris persecutionibus, quod tota rabida mansit & extra sensum; & in regressu venit obuiam ancillæ Christi, summe tristi de casu tam horribili suæ familiaris amicæ prædilectæ; quam in tali statu videns, illam pie recommendauit Deo, & statim sospes ac sana remansit.

[222] Pariformiter quædam nobilis Domina de principalibus ciuitatis Bisuntij rabiem incurrerat, & perdiderat sensum: cui valde compatiebatur humilis ancilla Christi Coleta. [alia Vesontionensis,] Quapropter eam recommendabat multum affectuose coram Deo, quæ finaliter per eius preces & merita fuit integræ sanitati restituta.

[223] Item quædam alia iuencula patriæ Sabaudiensis, sic erat a dæmonibus obsessa tamquam laborans rabie quod vix teneri poterat, [alia dæmoniaca Sabauda,] quantumcumque ligata, quin omnino disrumperet fortissima vincula: sed tandem per eius deuotissimas preces & dignissima merita perfecte sanata fuit.

[224] In quodam monasterio Dominarum Religiosarum quædam erat inter alias, quam dæmones sic horribiliter vexabant interius & exterius, quod ab intra talem illi tentationem induxerunt, [Religiosa præ amentia existimans se digniorem aliis,] quod æstimabat se omni reuerentia dignam, & omni præeminentia præ ceteris omnibus & audientia: propter quod velut maior volebat honorari & timeri, seu dubitari. Cum hac vltius imaginatione stolidam, qua vexabatur interius, interdum veniebat inimicus ad eam imperceptibiliter, loquens sic vocaliter exterius, dans sibi intelligere, quod sic erat,

sicut ipsa cogitabat, & quod omnes aliæ tenebantur obedire sibi pariter, & eam reuereri; quod auditum fuit a pluribus Religiosis, quæ multum ab inde territæ fuerunt. Ad vltimum dum ipsa percepit, quod non impendebatur sibi talis honor, qualem ipsa quærebat, tantum ipsa concepit ex hoc dolorem & excessiuam tristitiam, [& rabida facta.] quod omnino perdidit sensum, & incidit in extremam rabiem, sic quod necesse erat ipsam mancipari compedibus ferreis & constringi vinculis fortissimis. Quo non obstante vix teneri poterat, & nominabat hostes infernales suis proprijs nominibus, & aliquoties irrationabiliter & inhoneste valde loquebatur: aliquando vero sic profunde loquebatur de sancta Trinitate, quod videbatur esse Doctrix quædam peritissima in sacra Theologia. Interdum autem videbatur, quod sciret omnia idiomata, vnde ceteræ Religiosæ summe desolabantur & tristabantur velut semimortuæ. Sed ad extremum recordatæ fuerunt humilis ancillæ Domini nostri Iesu Christi: cui scripto tenus significauerunt dolendum & miserabilem statum præfatæ Religiosæ, valde caritative cum affectione vehementissima recommendando suis sanctis orationibus, iuxta casus exigentiam totum factum. Et mox paupercula patiens sic apparuit, & de facto fuit integre liberata, quod dicebat Officium diuinum cum ceteris Religiosis deuote, tamquam si numquam infirmata fuisset.

§ VIII De diuersis ægritudinibus reiectis.

[225] Item quædam nobilis mulier de villa, quæ dicitur a Orba, familiaris & affectuosa gloriosæ Matri Coletæ, suisque monasterijs & Sororibus, [Morbo caduco liberantur filius nobilis mulieris,] filium quemdam habebat infirmum grauiter de morbo caduco, qui terribiliter & sæpe cadebat in terram, expumans horribiliter & inhoneste, laborans pœnaliter, & vexans irremediabiliter corpus suum: vnde paupercula Mater indicibiliter afflicta,

desolabatur in immensum, ignorans penitus quid agere deberet. Transeuntibus autem quibusdam Fratribus illac, atque Bisuntium pergentibus ad Matrem gloriosam, precibus sanctissimis eiusdem humiliter recommendavit, per medium illorum Fratrum, factum dolentissimum sui pauperis infantis. Quo facto, in spiritu suo remansit consolata mirabiliter, confidens in Domino firmiter, quod in brevi puer eius saluaretur. Cuius fiducia non multo post per Dei gratiam & eius ancillæ merita salubrem & completum effectum fuit consecuta, puero penitus ab illa ægritudine liberato.

[226] Vir quidam nobilissimus in Burgundiæ partibus, honestæ conversationis & vitæ, [& nobilis Burgundus,] graviter infirmabatur de morbo caduco prædicto, sic horribiliter afflicto, & diu, videlicet per spatium decem annorum, quod nullum remedium conveniens poterat recipere: propter quod nedum ipse, sed etiam omnes de parentela sua, nec immerito, valde tristabantur: tandem fuit affectuosissime recommendatus ancillæ Christi Coletæ: quæ feruentissime coram Deo in suis orationibus decrevit illum habere, pro recommendato. Et prout asserunt sibi attinentes, numquam post dictam recommissionem amplius in morbo cecidit, sed remansit incolumis in omni sospitate.

[227] Quædam deuota Religiosa Diuina permissione tam graui fuit infirmitate vexata, quod sensu perduto, rabida permansit; propter quod oportuit ipsam fortiter ligari, [alia Religiosa rabida:] diligenterque custodiri. Qua de re ceteræ Religiosæ commorantes secum in eodem monasterio, valde tristes & desolatæ, significauerunt ancillæ Christi, recommandantes eam suis sanctis orationibus humiliter & deuote. Nocte vero sequenti post dictam recommendationem ipsa apparuit dictæ Religiosæ sic infirmæ, præsentando sibi quoddam pulcherrimum paruum pomum, persuadens eam ex illo

comedere. Quo gustato cum mirabili sapore, statim incolumis effecta est. In crastinum vero quando custodes visitauerunt eam, reppererunt ipsam in bono sensu cum plena sospitate, primaque facie sic requirentem ab eis dicendo: Mater nostra Soror Coleta venitne ad conuentum? Quibus sibi respondentibus, quod non, sed erat Bisuntij, recitauit qualiter dicta Mater eam visitauerat, atque quoddam pulcherrimum pomum sibi præsentauerat, quo gustato quantocyus receperat sanitatem.

[228] Tempore quodam cum ancilla Christi Coleta duceret aliquas Religiosas suas ad vnum conuentum nouiter ædificatum, plures Religiosæ Religionis alterius ex deuotione venerunt obuiam sibi: quas ipsa gratanter recepit, [curantur lepra,] benigne salutauit, & dulciter gratulata fuit. Inter quas erat vna bene notabilis, sed leprosa: propter quod habebat faciem turpem, consumptam, & idcirco verebatur appropinquare sibi, nec per consequens illam cum ceteris audebat osculari. [osculo S. Coletæ:] Quod attendens benigna Mater Coleta, dulciter illam traxit ad se, humiliter osculando: virtute cuius humilitatis satis cito sanata fuit ab illo morbo contagioso.

[229] Item semel in conuentu, in quo morabatur ancilla Christi Coleta, Religiosa quædam incurrerat grauissimam infirmitatem, [inflatura valde fœtida] videlicet inflaturam valde fœtidam a planta pedis ad verticem capitis vsque. Propter quod facies eius rotunda erat & etiam caput inflatum ad modum pilæ, sic quod nihil videbat omnino. De dicta similiter inflatura procedebant humores fœtoris intolerabilis & ceteris Religiosis importabiles. Propterea medici iudicauerunt dictam inflaturam esse lepram: cui benigne compatiens bona Mater, cœpit eam frequenter visitare. Quam licet infirma non videret, [suavi odore visitantis:] sentiebat tamen ipsam ingredi infirmariam,

quia quamuis tam ipsa quam infirmaria plenæ forent illis fœtoribus: in eius tamen ingressu perfundebantur suavissimis odoribus. Velut enim aromatum cella vel quasi myrrha electa dabat suavitatem odoris: cuius dulcorem sentiens prælibata infirma consolabatur in immensum, & per continuationem illius omnino fuit in brevi tempore liberata, sospitæque plenæ restituta, fœtoribus & inflatura lepraque fugatis, vt ipsa postmodum sæpius asserebat.

[230] Frater Petrus Golerij, residentiam faciens in monasterio S. Claræ Bisuntinensi, graviter ægrotabat & funeste, sic quod nullatenus sperabatur de possibilitate euadendi, nisi per mortem, quam infra mane sequens expectabat. [apostema moribundi,] Habebat enim apostema quoddam turgidum circa guttur, cuius impetuositas eum passim strangulare videbatur: cum iuxta diuinum beneplacitum superuenit Frater Petrus de Osiaco, Visitator monasteriorum huiusmodi, qui reperiens dictum Fratrem patientem, in tam propinqua dispositione mortis pene desolatum & gliscens illi subuenire, recoluit se deferre secum aliquantulam portionem de capillis bonæ Matris Sororis Coletæ, quos assumens vna cum Regula S. Francisci, quam etiam portabat secum, cum illis signauit dictum infirmum signo sanctæ Crucis, imponens illa super eum: [capillis S. Coletæ apposis:] & statim apostema illud crepuit, & euomito illo apostemate, sanus remansit.

[231] Alia vice quædam Religiosa de suis multum anxiebatur propter vehementem ægritudinem in infirmaria, [gravis ægritudo eius visitatione.] quam pia Mater, alijs Sororibus retractis & sequestratis, secrete visitauit, consolatorie dicens illi; quod non dubitaret, sed speraret in Deo: quia ipse nolebat, quod adhuc moreretur. Et ita sicut secrete venerat, similiter fuit reuersa, & in instanti sana remansit. Et egressa

infirmariam, transiit ad communitatem cum ceteris Religiosis Sororibus suis.

[232] Alicæ duæ Religiosæ similiter infirmabantur letaliter, sic quod nullum reperiri poterat remedium: [duæ aliæ,] quarum vna dicebatur Soror Adelina, alia vero Soror Iacoba, nihil penitus gustantes, nec se præ debilitate sustinere valentes. Ancilla vero Christi Coleta superueniens, quemadmodum nutrices pascere solent paruulos, [accepta buccella panis ab illa masticati:] sic & ipsa sumebat micam panis, & masticans illam proprijs dentibus, humaniter propinabat in os vtriusque prædictarum egrotantium; qua deglutita, statim restitutæ sunt mirabiliter sanitati.

[233] Quædam alia Religiosa valde grauabatur quodam morbo contagioso in vna de faucibus suis: [malum faucium,] nec quidquam exinde gustare poterat ad corporis sustentationem, nec sibi subueniri poterat quouis modo. Sed ancilla Christi Coleta pro tunc visitabat conuentum illum, [apposito vasculo, ex quo illa biberat:] in quo morabatur dicta Religiosa taliter infirma: quæ tunc sumpsit vasculum, in quo Mater bibebat, & imposuit super genam suam siue faucem infirmam cum fiducia, & statim experta fuit perfecte se fuisse sanatam.

[234] Vna Religiosa de familia prædictæ gloriosæ Matris Sororis Coletæ multum affligebatur dolore capitis, & specialiter passione guttæ malogranatæ, [dolor capitis,] taliter quod vi doloris afficiebatur quasi furibunda, nec poterat se quouis modo iuuare. Sed ex confidenti deuotione sumpsit secrete quoddam ploratorium eiusdem Matris totum madidum lacrymis, & imposuit illud super caput infirmum, [apposito sudario eius:] & subito se sensit incolumem & sanam.

[235] Alia similiter Religiosa de suis, sic patiebatur quod quidquid sumebat pro sustentatione corporis iterum emittebat per os in forma sanguinis, [vomitus continuus,] acsi ceteri conductus essent clausi. Quod ancilla Christi percipiens compatiendo dixit per hunc modum: Heu quid est hoc quod tu facis! ego nolo quod tu de cetero facias talia. Tunc in illa hora sic ex integro sanata fuit, [eius præcepto:] quod nullum remansit vestigium præiacentis infirmitatis.

[236] Quidam nobilis vir, qui erat d Balius villæ Aquepersæ, cum ancilla Christi Coleta veniret ad fundandum ibidem conuentum Sororum S. Claræ, [febris quartana,] venit obuiam sibi, tam pro honore quam pro deuotione, debitam & deuotam reuerentiam exhibendo. Quo peracto ipse, qui per annum integrum fuerat febricitans quartanarius, [reuerente occurso:] se reperit omnino sanatum & liberatum ab infirmitate prædicta. Item cum semel propter excessiuam infirmitatem, quam pertulerat, compulsus fuisset se permittere lauari, [uarij morbi lotionis aqua:] eiusdem lotionis aqua reseruata fuit secreta, de qua bibentes multæ personæ diuersis infirmitatibus infectæ, plenam exin sospitatem obtinuerunt.

[237] Quædam nobilis & potentissima Domina, de qua facta fuit mentio supra, [laterum dolor] grauiter affligebatur dolore laterum, nec remedium aliquod valebat reperire, donec recoluit se quamdam habere cordulam, quam cinctam pertulerat ancilla Christi super habitum, & cum deuotione decreuit illam cingere, quotiescumque præsentiebat dictam infirmitatem. Sed statim quando dicta cordula cingebatur, dolor omnino cessabat: quod tali modo continuauit, donec illa cordula penitus disrupta fuit: nec aliquem amplius sensit in dictis lateribus dolorem. [funiculo eius:]

[238] Inter familiares Fratres ancillæ Christi Coletæ fuit quidam notabilis Pater, dictus Frater Petrus de Osiaco, Visitor conuentuum Sororum eiusdem Matris, de quo supra dictum est, qui per integrum annum & semis angebatur dolore capitis, [hemicrania,] passione scilicet, quæ gutta malogranata vulgariter nuncupatur, quod nullo modo refici poterat corporaliter absque doloris horribilis & indicibilis afflictione. Nam sæpe surgebat de mensa, ambulans per hortum, eiulans & clamans lamentabiliter, sibi loqui volentibus intendere non valens præ nimia doloris afflictione; quæ nocte superueniente duplicabatur, & compellebatur passim a lecto surgere, discurrendo per domum, per virgultum vel alicubi, nullibi tamen complacens, & vbique territus & vexatus inexplicabiliter: sed per Dei gratiam omnia tolerans patienter, feruenter implorauit diuinum adiutorium & Virginis gloriosæ, quatenus per ancillulæ suæ Coletæ merita, dignaretur sibi subleuamen aliquod impartiri; nam aliter officium suum exercere non posset. Accidit autem nocte quadam, cum esset in conuentu Bisuntinensi, [visione apparentis a morte S. Coletæ:] quod vidit visionem, in qua sibi videbatur, quod erat in capella conuentus oratorij Gandensis, vbi celebravit alias Missam, coram dicta Matre, dum adhuc viueret; quod ipsa dulciter vocaret eum in voce, figura pariter & habitu consuetis, & cum hoc erat pulcherrima, luminosa nec non iucundissima, consolans eum benigne, dulciter & caritative; taliter quod excitatus a somno, reperit se penitus sanum, sospitem, & iucundum: nec amplius dictum dolorem passus est, nec multum nec parum.

[239] Item in quodam conuentu de suis, quædam erat mulier satis bene composita siue morigerata, secundum exteriorem apparentiam, administratrix siue familiaris dicti conuentus: quæ incidit in vnam & sic grauissimam infirmitatem & fortem, [morbus corporis & animæ] quod ab omnibus intuentibus iudicabatur & reputabatur velut

mortua. Et quod plus erat, plus infirmabatur in anima, quam in corpore: latebant enim in conscientia sua nonnullæ crudeles vitiorum læsiones, quæ numquam fuerant per medicamen sanctæ Confessionis expiatæ. De quibus omnibus ancilla Christi Coleta claram habebat notitiam, sed non minus concepit exin vehementissimum dolorem & tristitiam: propter quod recurrit ad sacrificium orationis deuotæ, feruenter deprecando sine intermissione, donec vtraque vita, tam corporis quam animæ, pauperulæ patientis a Deo sibi fuit concessa. [precibus eius:] Nam per eius preces corporalem obtinuit sanitatem, & incontinenti per veram contritionem & sacramentalem Confessionem purgata, residuum vitæ suæ diligenter exposuit in sanctis & virtuosis laboribus & dignis occupationibus, honestaque conversatione & vita perfecta, Deum intime diligendo, fugiens omne malum, & omne bonum diligenter amplectens: propter quæ terminavit dies suos laudabiliter & gloriose. Qualiter autem pro quodam Fratere, & peste & morbo præuento, confessa fuit, & recepit Sacramentum, quamuis multum distaret, vide supra. Similiter pro quodam Fratere, qui recesserat ab eius societate, in casu mortis orauit feruenter; & deductus fuit ad compunctionem & pœnitentiam, quære supra.

[240] Quædam deuota Religiosa, vocata Soror Anna, [arthritis] sic grauiter infirmabatur de gutta, quod a planta pedis vsque ad caput vexata, non poterat sedere, nec stare, nec se vertere quouis modo. Semel in die sancto Pentecostes post receptionem Eucharistiæ multum afflicta, [commendatione facta ei:] iudicans se nullum posse facere fructum in Religione, recurrit ad Matrem, rogans humiliter quatenus sibi misericorditer compati dignaretur. Et fuit mirabile valde: quia mox facta recommendatione prædicta, Soror ægrotans se sensit penitus alleuiatam, nullo signo præiacentis infirmitatis permanente.

[241] Post decessum gloriosæ Matris Coletæ quidam nobilis, civis Trecensis ciuitatis in Campania, [morbus caducus & brachium fractum] puerum habebat iuuenem, qui cadebat ex infirmitate, quæ vulgariter dicitur morbus caducus. Et exinde semel cadens ex toto fregit sibi brachium: propter quod parentes remanserunt valde tristes & desolati: sed pro solamine recordati sunt gloriosæ Matris eiusdem, quam alias præ deuotione receperant in domo sua, cum accederet visitatum aliquem de conuentibus suis. [implorata ope S. Coletæ tunc mortuæ:] Idcirco recurrerunt ad eam humiliter implorantes clementiam Dei, suæque benedictissimæ Virginis Matris, quatenus per merita suæ prædulcis & humilis ancillæ Coletæ, sibi dignaretur impartiri gratiam sanitatis, pro pauperculo puero sic vehementer afflicto. Completa vero supplicatione iam dicta, incontinenti mirabiliter extitit sanatus. Postmodum accidit, quod domus satis propinqua domui predicti civis igne comburebatur; propter quod ille de sua pertimescens, [vti periculum incendij submotum:] nec immerito, quia agebatur de perditione totali bonorum suorum temporalium, festinanter recurrit ad ancillam Christi Coletam, sic eam alloquendo dicens: Gloriosa Domina Soror Coleta, quæ dedistis operam saluti mei nati, rogo vos humiliter quatenus mihi succurrere velitis in hac necessitate. Quibus dictis, statim ignis cœpit minui, & satis cito post extinctus fuit absque sui damno.

[242] Quædam Religiosa subito præoccupata fuit ab aliqua febre cum excessiuo calore, [febris, attactu alicuius rei eiusdem:] sic quod sibi videbatur, quod in toto corpore comburi deberet & consumi, nec expectabat nisi mortem: & propter hoc se commendauit meritis bonæ Matris, aliquid de rebus, quæ tetigerant eam, super se mittens ex deuotione: quo facto, mox extitit refrigerata, sanitatique plenissime restituta.

[243] Alia similiter Religiosa de suis per spatium quatuor annorum fuerat afflicta, sic quod de nocte ante Matutinum, dum quiescere volebat, excitabatur ab aliquo, de quo nesciebat vnde veniret vel quis esset, sed dubitabat de malignis hostibus. [terror nocturnus a diabolo excitatus,] Nam interdum manum sumebat, quasi vellet eam strangulare. Post hoc autem recursum habuit ad subsidium sanctæ orationis, obsecrans Altissimum, quatenus per preces & merita suæ dulcis & humilis ancillæ Coletæ dignaretur sibi ostendere, quid hoc esset, & in tali forma vel effigie, ne deberet post hoc amittere sensum. Nocte vero sequenti dictus hostis apparuit ante cubiculum dictæ Religiosæ, videlicet in specie canis, igne succensi, flammam igneam per os horribiliter emittentis. Vnde non parum ipsa timore concussa, signavit se signo sanctæ Crucis & consequenter animose dixit per hunc modum: Vade cruenta bestia: [imploratis eius meritis:] coniuro te per merita gloriosæ Virginis meæ Sororis Coletæ, ne venias de cetero me vexatum: qui confestim evanuit, nec amplius visus est, nec molestiæ quidquam intulit dictæ Religiosæ.

[244] Alia vice quædam Religiosa, Sacrista cuiusdam conventus, [item alius:] ambulabat in nocte per ecclesiam disponens pulsare pro Mututinis, & audiuit multitudinem dæmonum clamantium & ululantium turpiter & terribilissime, sic quod fere cogebatur perdere sensum: quæ facto signo sanctæ Crucis invocatoque sanctissimo nomine Domini, devote requirebat ab ipso Domino Iesu Christo, quatenus per benedictissima merita suæ humilis ancillæ Sororis Coletæ dignaretur adiutorium impendere sibi. Qua requesta præmissa, statim illæ monstruosæ voces cessauerunt, & hostes maligni tamquam fugati penitus evanuerunt.

[245] Quædam nobilis burgensis de villa Breuiate parere solita fœtus suos cum excessiuo dolore, semel propinqua

partui cœpit anxari, sicque tristis & vehementer dolens humillime se recommendavit Mariæ Virgini gloriosæ Matri Christi, ac ancillulæ suæ Sorori Coletæ. Quo facto, statim peperit fœtum geminatum, vnum videlicet filium & vnam filiam: quorum alter, [puella mortua nata,] scilicet filius, viuebat; altera vero, scilicet filia, mortua videbatur, & talis erat: propter quod tam ipsa quam vir eius tristabantur, & erant desolati. Tandem vero finaliter conuenerunt simul, recommendantes affectuosissime prælibatum fœtum mortuum sanctissimis meritis & precibus deuotissimis ancillæ Christi prædictæ. Satis cito post factam recommendationem ostendit se viuentem: [eius meritis reuiuiscit:] qua de re versa est tristitia doloris in gaudium & lætitiā & puella regenerata fuit in fonte sacro baptismatis, imposito sibi nomine Matris, videlicet Coletæ, quæ superuiuit adhuc, cum hæc primo scribuntur.

[246] Quidam honestus vir de Vicecomitatu Carladesij, de loco, qui dicitur Superior, sic grauiter & incurabiliter ægrotabat, quod a medicis iudicabatur pro impossibili quod conualescere posset per viam naturalem, & de facto pluries candela benedicta fuit sibi data in manum, [sublata letalis inflatio ventris,] præsumendo quod deberet mori, quia velut hydropicus, inflatus erat per ventrem, tibiasque graciles & siccas habebat, & fere perdiderat sensum naturalem: cum hoc autem habebat ventrem turgidum, acsi stipitem grossum haberet, vel obicem dispositum ex transuerso. Per cuius consensum eius vxor, quæ nutrix erat aliquorum infantium nobilissimi præpotentissimique Domini Comitæ Marchiæ, cum nobili voto dignæ promissionis, [implorata eius ope:] recommisit eum & recomitti fecit ancillæ Christi gloriosæ Coletæ suisque sanctis precibus & deuotis, & satis cito post eiusdem meritis restitutus est plenæ sospitati.

[247] Quædam honorabilis mulier de dicto Vicecomitatu Carladesij parturiens, laborauerat in anxietate nimia per sex vel septem dies, [partus difficilis duorum infantium,] nec poterat expediri; quin imo iudicabatur ab obstetricibus pro impossibili, quod vita comite parere valeret. Quidam vero nobilissimus Princeps de veritate rei certificatus, & pietate permotus, per aliquem virum Ecclesiasticum ex compassione fecit eam visitari, secum deferentem aliquas sanctas Reliquias, inter quas erat aliquid de reliquijs ancillæ Christi Coletæ, cui deuotissime fuit recommissa cum notabili voto: quæ mulier laborans postquam tetigit ex deuotione Reliquias supradictas, [reliquijs S. Coletæ.] incontinenti peperit duos infantes sospites & viuos, qui consequenter sacro fonte baptismatis regenerati fuerunt, meritis & intercessionibus nostræ gloriosissimæ Matris sanctissimæ Coletæ, nobilis ancillæ Domini nostri Iesu Christi. Cui cum Patre & Filio & sancto Spiritu honor & gloria in secula seculorum. Amen.